Fabellae Latinae

Hans H. Ørberg & Luigi Miraglia

Index

Personae

- **Aemilia**, domina, māter Mārcī, Quīntī, Iūliae
- **Aemilius**, mīles, frāter Aemiliae
- **Cornēlia**, puella, fīlia Cornēliī et Fabiae
- **Cornēlius**, dominus, pater Sextī et Cornēliae
- **Dāvus**, servus Iūliī
- **Dēlia**, ancilla Aemiliae
- **Diodōrus**, magister
- **Dōrippa**, amīca Lȳdiae
- **Fabia**, uxor Cornēliī
- **Grūmiō**, tabernārius
- **Iūlia**, puella, fīlia Iūliī et Aemiliae
- **Iūlius**, dominus, pater Mārcī, Quīntī, Iūliae
- **Lēander**, servus Iūliī
- **Lepidus**, adulēscēns
- **Libanus**, servus Cornēliī
- **Lȳdia**, amīca Mēdī
- **Mārcus**, puer, fīlius Iūliī et Aemiliae
- **Marīnus**, adulēscēns, fīlius Mīciōnis, Medicus Tūsculānus
- **Mīciō**, mercātor, pater Marīnī
- **Mopsus**, tabernārius
- **Sanniō**, iānitor
- **Sextus**, puer, fīlius Cornēliī et Fabiae
- **Syra**, ancilla Aemiliae

Capitulum I

Prōvinciae Rōmānae

In imperiō Rōmānō sunt multae prōvinciae. Hispānia et Gallia sunt prōvinciae Rōmānae. Britannia quoque prōvincia Rōmāna est. Hispānia et Gallia et Britannia trēs prōvinciae in Eurōpā sunt. Ubi sunt prōvinciae Syria et Aegyptus? Syria in Asiā est, Aegyptus est in Āfricā. Britannia īnsula est. Num īnsulae sunt Gallia et Hispānia? Nōn sunt īnsulae; sed Corsica, Sardinia, Sicilia īnsulae sunt. Māgna īnsula est Britannia. Sicilia quoque et Sardinia et Corsica māgnae sunt īnsulae. Melita īnsula parva est.

Quid est Brundisium? Brundisium oppidum est. Quid est Dānuvius? Dānuvius est fluvius. Rhēnus quoque fluvius est. Rhēnus et Dānuvius sunt duo māgnī fluviī in Eurōpā. Nīlus quoque māgnus fluvius est. Estne Nīlus in Eurōpā? Nōn in Eurōpā, sed in Āfricā est Nīlus. Num Rhodus fluvius est? Nōn fluvius, sed īnsula est. Rhodus est īnsula Graeca. In Graeciā multae sunt īnsulae parvae et māgnae.

Insula et *oppidum* vocābula Latīna sunt. In vocābulō *insula* sunt sex litterae: littera prīma I, secunda N, tertia S … I est littera et numerus. Numerī prīmī sunt I, II, III, litterae prīmae A, B, C.

Prōvinciae Rōmānae II

Corsica est īnsula magna. Britannia quoque īnsula magna est. Estne īnsula Italia? Italia nōn īnsula, sed paenīnsula est. Italia et Hispānia nōn īnsulae, sed paenīnsulae magnae sunt. In Italiā est Rōma. Hispānia est prōvincia Rōmāna. Gallia quoque prōvincia Rōmāna est. Hispānia et Gallia prōvinciae Rōmānae sunt. Sicilia quoque, magna īnsula, prōvincia Rōmāna est. Num Germānia prōvincia Rōmāna est? In imperiō Rōmānō multae sunt prōvinciae, sed Germānia nōn est prōvincia Rōmāna. Prōvinciae Rōmānae sunt Syria, Aegyptus, Gallia, Britannia, nōn Germānia. Suntne fluviī ma-

paen-īnsula -ae f

gnī in Germāniā? In Germāniā sunt duo magnī fluviī, Rhēnus et Dānuvius. Īnsulae quoque sunt multae in imperiō Rōmānō, sed in Germāniā īnsulae nōn sunt. Multae īnsulae sunt in Graeciā. Num Sicilia quoque in Graeciā est? Sicilia nōn in Graeciā, sed in Italiā est. Īnsulae Graecae parvae sunt! Suntne īnsulae magnae in Graeciā? In Graeciā quoque īnsulae magnae sunt, Crēta et Euboea. Quid est Delphī? Delphī oppidum Graecum est. Suntne oppida Graeca Brundisium et Tūsculum? Brundisium et Tūsculum nōn oppida Graeca, sed oppida Rōmāna sunt. Sparta et Delphī oppida Graeca sunt. In Italiā et in Graeciā multa oppida sunt, sed in Aegyptō pauca sunt oppida et ūnus est fluvius magnus, nōn multī fluviī.

Capitulum II

Līberī et librī

Quid est Tūsculum? Tūsculum est oppidum Rōmānum. Estne māgnum oppidum? Tūsculum nōn māgnum, sed parvum oppidum est. Ubi est Tūsculum? Tūsculum est in Italiā.

Quis est Iūlius? Iūlius est vir Rōmānus. Cuius vir est? Iūlius vir Aemiliae est. Ubi est Iūlius? Est in oppidō Tūsculō. Estne Aemilia in oppidō? Aemilia in oppidō nōn est.

CORNĒLIUS: "Ubi est vir tuus, Aemilia?"

AEMILIA: "Iūlius, vir meus, in oppidō Tūsculō est. Sed ecce Mārcus, fīlius meus, et Dēlia."

CORNĒLIUS: "Quae est Dēlia?"

AEMILIA: "Dēlia ancilla mea est."

CORNĒLIUS: "Estne Syra quoque ancilla tua?"

AEMILIA: "Dēlia et Syra et cēterae multae sunt ancillae meae. In familiā meā sunt multae ancillae multīque servī – sed paucī līberī."

CORNĒLIUS: "Quot līberī in familiā tuā sunt?"

AEMILIA: "Trēs."

CORNĒLIUS: "Quot fīliī et quot fīliae?"

AEMILIA: "Duo fīliī et ūna fīlia. Fīliī meī sunt Mārcus et Quīntus, fīlia mea est Iūlia. In familiā meā sunt centum servī et trēs līberī."

CORNĒLIUS: "Centum est māgnus numerus! In meā familiā parvus numerus servōrum est. Neque māgnus est numerus līberōrum meōrum."

AEMILIA: "Quot sunt līberī tuī?"

CORNĒLIUS: "Duo: ūnus fīlius, Sextus, et ūna fīlia, Cornēlia. Parvus est numerus līberōrum – sed numerus librōrum meōrum nōn parvus est! Librī meī sunt māgnī et parvī, antīquī novīque: centum librī Latīnī et Graecī."

AEMILIA: "Centum librī! Māgnus est numerus librōrum tuōrum!"

CORNĒLIUS: "Ecce liber meus novus; titulus librī est *Grammatica Latina*."

Līberī et liber duo vocābula masculīna sunt. Līberī est plūrālis, liber singulāris est – plūrālis: librī.

Gāiī familia

Quis est Gāius? Gāius est vir Rōmānus. Gāius pater Lūciī et Titī est. Lūcius et Titus sunt puerī Rōmānī. Cuius fīlia est Gāia? Gāia quoque fīlia Gāiī est. Lūcius, Titus Gāiaque trēs līberī Gāiī sunt. Quae est Iūlia? Iūlia fēmina Rōmāna est, et māter līberōrum. Gāius dominus quoque servōrum est. In familiā Gāiī mīlle servī sunt. Melitta ancilla est. Cuius ancilla est Melitta? Melitta ancilla Iūliae est. Iūlia domina Melittae et multārum ancillārum est. Quot ancillae sunt in familiā Gāiī? In familiā Gāiī centum ancillae sunt. Magnus est ancillārum numerus. Melitta nōn fēmina Rōmāna, sed fēmina Graeca est. Multae ancillae sunt Graecae. In imperiō Rōmānō magnus est numerus ancillārum Graecārum. Dēlia quoque ancilla Iūliae est.

IŪLIA: "Ecce liber! Est liber Graecus. Cuius est liber?"

MELITTA: "Meus est liber!"

DĒLIA: "Nōn tuus, sed meus est liber!"

IŪLIA: "Quid? Liber novus est! Liber est Gāiī, virī meī! Multī sunt librī Gāiī, et Latīnī et Graecī! Liber nōn ancillārum, sed virī meī est!"

Capitulum III

Pater dormit

Iūlia, fīlia Iūliī et Aemiliae, est parva puella laeta quae cantat et rīdet. Sed iam nōn cantat puella neque rīdet, sed plōrat: "Uhuhū!" Cūr plōrat Iūlia? Puella plōrat quia Mārcus eam pulsat. Mārcus est puer improbus quī parvam puellam pulsat – et rīdet!

Aemilia audit fīliam quae plōrat.

Iūlia Iūlium vocat: "Pater! Pa-ater!"

Māter fīliam audit, neque pater eam audit. Aemilia Syram ancillam interrogat: "Ubi est vir meus? Iūlia eum vocat. Cūr nōn venit?"

SYRA: "Dominus dormit."

Aemilia Iūlium nōn videt, sed audit: "Ssst-rrrch, ssst-rrrch!" Iūlius dormit neque Iūliam audit.

AEMILIA: "Ō! Fīlia plōrat – et pater dormit!"

IŪLIA: "Uhuhū! Mārcus mē pulsat!"

Mārcus rīdet: "Hahahae!"

Pater audit fīliam quae plōrat et fīlium quī rīdet. Iam nōn dormit Iūlius.

Ecce Iūlius venit et Aemiliam interrogat: "Cūr Iūlia plōrat et Mārcus rīdet?"

Aemilia respondet: "Mārcus rīdet, quia Iūlia plōrat, et Iūlia plōrat et tē vocat, quia Mārcus eam pulsat. Puer improbus est Mārcus!"

Iūlius Mārcum vocat. Mārcus venit et Iūlium īrātum videt. Iam nōn rīdet puer. Pater īrātus fīlium improbum verberat!

Ānulus Iūliae

Iūlia, domina ancillārum, Melittam, ancillam suam probam, vocat. Melitta, quae eam audit, venit.

Iūliam Melitta interrogat: "Quid est, domina?"

IŪLIA: "Ō Melitta, mea proba ancilla: ubi est ānulus meus?" Iūlia ānulum suum nōn videt.

Melitta nōn respondet. Cūr Melitta nōn respondet? Melitta nōn respondet, quia ānulus in sacculō Dēliae est! Dēlia, quae ānulum in sacculō habet, ancilla improba est.

MELITTA: "Ānulus tuus hīc nōn est, domina."

IŪLIA: "Ubi est Dēlia?"

MELITTA: "Dēlia dormit."

IŪLIA: "Quid? dormit?"

Dēlia laeta cantat: "Lalla, lalla." Domina eam audit: "Dēlia nōn dormit, sed cantat!"

Iūlia, quae īrāta est, Dēliam vocat: "Dēlia!"

Dēlia, quae dominam īrātam audit, iam nōn cantat, neque rīdet. Dēlia venit; Dēlia, quam Melitta videt sed domina nōn videt, ancillam interrogat: "Cūr mē domina vocat?"

Melitta respondet: "Domina tē vocat, quia ānulus in sacculō tuō est. Cuius est ānulus, Dēlia? Num tuus est?" Dēlia nōn respondet, sed ānulum in lectō dominae pōnit. Iam ānulus in dominae lectō est.

Iūlia, quae iam videt Dēliam sed ānulum in lectō nōn videt, eam interrogat: "Ubi est ānulus meus, Dēlia?"

DĒLIA: "Ecce ānulus tuus, domina. Ānulus in lectō tuō est."

Iūlia, quae iam ānulum videt, laeta est. Sed Dēlia nōn est laeta, quia ānulum nōn iam in sacculō suō habet. Melitta laeta est et rīdet. Cūr Melitta laeta est? Melitta laeta est, quia ancilla proba est.

Capitulum IV

Nummus Dāvī

Aemilia, quae virum suum nōn videt, Dāvum interrogat: "Ubi est vir meus? Cūr nōn venit?"

Dāvus audit dominum, quī Mēdum vocat: "Venī, Mēde, improbe serve!"

DĀVUS: "Audī! Dominus Mēdum vocat, sed Mēdus abest neque venit."

AEMILIA: "Mēdus nōn venit quia pecūniam dominī suī habet. Is servus improbus est! Sed ecce venit vir meus."

Aemilia laeta est, quia Iūlius venit. Is īrātus est, et sacculum suum in mēnsā pōnit.

IŪLIUS: "Ecce sacculus meus. Nōn centum, sed tantum decem nummī in sacculō meō sunt. Cēterī nummī meī sunt in sacculō Mēdī!" Dominus suum Mēdum servum accūsat.

AEMILIA: "Nōn decem, sed tantum novem sunt nummī in sacculō tuō."

Iūlius pecūniam numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem. Quid? Novem tantum? Cūr ūnus nummus abest?"

AEMILIA: "Quia in sacculō Dāvī est, neque tuus, sed Dāvī est nummus. Ecce Dāvus adest. Is nūllum tuum nummum habet. Nōn Dāvum, sed Mēdum accūsā!"

DĀVUS: "Ecce parvus sacculus meus, domine. In eō ūnus est nummus, quī meus est."

IŪLIUS: "Ō Dāve, nummum habē, bone serve! Nōn meus, sed tuus est. Sūme sacculum tuum et discēde!"

Rīdet Aemilia. Iam Iūlius quoque rīdet neque Dāvum, servum probum, accūsat.

Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit.

IŪLIUS: "Probus servus est Dāvus, eius est pecūnia quae in sacculō eius est. Sed mea est pecūnia quae est in sacculō Mēdī!"

Capitulum V

Mēdus servus bonus nōn est

Iūlia Aemiliam interrogat: “Mamma, cūr pater īrātus est? Cūr nōn laetus est, neque rīdet? Līberī eius probī sunt: Mārcus quoque nōn est improbus: ecce, mē nōn iam pulsat, neque Quīntum accūsat.”

AEMILIA: “Pater īrātus est, quia sacculus eius vacuus est. Nūllus servōrum pāret: pater vocat Mēdum, quī nōn adest, neque Mēdus, quī est servus improbus, venit.”

IŪLIA: “Sed cūr Mēdus nōn venit? Nōn venit, quia pater īrātus est, et Mēdus timet dominum suum īrātum, quia pater eum baculō verberat. Sed mē nōn timet.”

Iūlia Mēdum vocat: “Mēde, venī! Iūlia, nōn dominus īrātus tē vocat!”

Sed Mēdus nōn audit, neque venit. Cūr Mēdus nōn venit? Quia Mēdus nōn adest, sed abest. Cūr Mēdus abest? Quia Mēdus in sacculō suō magnum numerum nummōrum habet. Cuius sunt nummī? Nummī nōn Mēdī, sed Iūliī sunt. Mēdus in sacculō suō Iūliī nummōs habet et dominum timet. Mēdus nōn iam in familiā, sed in oppidō Tūsculō est.

MĀRCUS: “Hahahae! Mēdus nōn audit tē, neque venit!”

AEMILIA: “Mārce, improbe puer!”

Aemilia baculum, quod est in mēnsā, sūmit. Mārcus, quī baculum videt, timet, tacet et discēdit.

IŪLIA: “Mēdus nōn respondet, neque venit. Dormitne servus?”

AEMILIA: “Iūlia, mea parva fīlia: Mēdus nōn dormit: nōn respondet neque venit, quia abest. Mēdus nōn iam in familiā est.”

IŪLIA: “Ubi est Mēdus, mamma? Num in oppidō est?” Aemilia nōn respondet. Iūlia Dāvum et Ursum, servōs probōs quī sunt in familiā Iūliī, vocat: “Dāve! Urse! Venīte!” Dāvus et Ursus veniunt.

IŪLIA: “Dāve, Urse, ubi est Mēdus?” Dāvus tacet, quia probus servus est. Servus probus servum nōn accūsat.

Ursus respondet: "Mēdus nōn iam hīc est, Iūlia."

Iūlia plōrat, quia Mēdum nōn iam videt.

DĀVUS: "Venī, Iūlia: vidē: quot librōs habet pater tuus! Magnus est numerus librōrum, quōs Iūlius habet! Numerā eōs!"

Iūlia nōn iam plōrat, sed librōs numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque ... centum!"

DĀVUS: "Centum! Nōnne magnus est numerus librōrum, quōs pater tuus habet?"

Iūlia nōn iam plōrat, sed rīdet. Aemilia laeta est, quia fīlia eius nōn iam plōrat.

Liber novus

Cornēlius est dominus Rōmānus, quī duōs līberōs habet, Sextum fīlium et Cornēliam fīliam, et decem tantum servōs. Paucī sunt servī Cornēliī, quia Cornēlius nōn māgnam pecūniam habet. Neque māgnam vīllam habet Cornēlius, sed multōs librōs Latīnōs et Graecōs habet. Cornēlius est dominus quī librōs et litterās amat. Bonī et pulchrī librī eum dēlectant. Etiam Sextus, fīlius Cornēliī, librōs et litterās amat.

Cornēlius suum Libanum servum vocat: "Venī, Libane!" Libanus venit et dominum salūtat: "Salvē, domine! Ecce, servus tuus adest."

Cornēlius salūtat servum suum: "Salvē, Libane! Tacē et audī!" Servus tacet et audit. Cornēlius eum interrogat: "Ubi est liber meus novus? Cūr hīc in mēnsā nōn est?"

Libanus tacet neque respondet.

Cornēlius imperat: "Respondē, serve!"

LIBANUS: "Nōn mē, sed fīlium tuum interrogā!"

CORNĒLIUS: "Quid?"

LIBANUS: "Liber tuus novus est in cubiculō Sextī. Fīlius tuus habet librum tuum."

CORNĒLIUS: "Quid agit puer cum librō meō?"

In cubiculō suō Sextus habet librum Cornēliī. Titulus librī est *Grammatica Latina*.

Sextus Cornēliam vocat: "Venī, Cornēlia! Ecce liber novus. Titulus eius est *Grammatica Latina*. In librō multa capitula sunt. Titulus capitulī prīmī est *Litterae et Syllabae*. Ecce litterae Latīnae in pāginā prīmā: A, B, C, D, E, cēterae. Iam respondē, Cornēlia: quot litterae sunt in vocābulō **latina**?"

Cornēlia litterās numerat: “Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque, sex. In vocābulō LATINA sunt sex litterae: L, A, T, I, N, A.”

SEXTUS: “Et quot syllabae?”

CORNĒLIA: “Trēs: syllaba prīma LA, secunda TI, tertia NA.” Sextus rūrsus eam interrogat: “Vocābulum *grammatica* quot litterās habet?”

Cornēlia litterās numerat et respondet: “Decem.”

SEXTUS: “Et quot syllabās?”

Cornēlia: “*Gram-ma-ti-ca*: quattuor syllabās habet.”

Ex ātriō Cornēlius fīlium suum vocat: “Sexte, venī!”

Sextus pāret: ex cubiculō venit cum librō Cornēliī.

Cornēlius īrātus fīlium interrogat: “Estne liber meus novus in cubiculō tuō?”

Sextus librum in mēnsā pōnit: “Nōn est. Ecce liber tuus in mēnsā!”

Iam Cornēlius rīdet neque īrātus est. Pater, quem librī et litterae dēlectant, laetus est quia etiam fīlius librōs et litterās amat.

Puella in hortō

Iūlius, quī māgnam pecūniam habet, in māgnā et pulchrā vīllā habitat cum familiā suā. Vīlla eius habet ātrium et peristȳlum et multa cubicula. Iūlius et Aemilia trēs līberōs habent: duōs fīliōs, Mārcum et Quīntum, et ūnam fīliam, Iūliam. Iūlia parva puella est. Ubi est fīlia Iūliī et Aemiliae? Iūlia est in hortō. Puella laeta rīdet et rosās carpit. Quot rosās carpit Iūlia? Quīnque rosās māgnās et pulchrās carpit.

Iūlia, quae sōla est in hortō, Mārcum et Quīntum vocat: “Venīte, Mārce et Quīnte!”

Puerī ex peristȳlō veniunt et Iūliam in hortō vident.

IŪLIA: “Ecce quīnque rosae. Vidēte rosās meās!”

QUĪNTUS: “Quīnque parvus numerus est! In hortō est māgnus numerus rosārum. Centum rosae hīc sunt!”

MĀRCUS: “Nōn centum tantum, sed mīlle rosae in hortō meō sunt.”

IŪLIA: “Nōn tuus est hortus!”

MĀRCUS: “Neque tuae sunt rosae!”

Puerī ab Iūliā discēdunt. Rosae eōs nōn dēlectant.

Iūlia rūrsus quīnque rosās carpit. Quot rosās iam habet Iūlia?

Iūlia nōn quīnque tantum, sed decem rosās habet: quīnque et quīnque sunt decem. Estne decem māgnus numerus? Nōn māgnus numerus est, neque parvus. Puella, quae rosās amat, laeta est et cantat: rosae eam dēlectant.

Iūlius, pater Iūliae, ex vīllā venit. Iūlius, quī baculum habet, īrātus est et fīliam suam interrogat: "Estne Mēdus hīc in hortō?"

Iūlia respondet: "Nōn est. In hortō nūllus est servus, sed ecce fīlia tua hīc est. Salūtā mē, pater!"

IŪLIUS: "Salvē, mea fīlia!"

IŪLIA: "Vidē rosās meās! Nōnne pulchrae sunt?"

Iūlius nōn respondet, sed Mēdum vocat: "Mēde! Venī, improbe serve!"

Iūlia interrogat: "Cūr improbus est Mēdus?" neque pater respondet, sed ab fīliā suā discēdit – sine rosīs.

IŪLIA: "Cūr discēdit pater neque respondet? Is nōn amat rosās – num fīliam suam amat?" Iūlia iam nōn laeta est neque cantat.

Iūlius rūrsus Mēdum vocat: "Mēde! Me-ē-de!" sed Mēdus, quī nummōs dominī habet, iam abest ab vīllā et ab hortō.

Dāvus bonus servus est

Aemilia cum Syrā ancillā in ātriō est. Dāvus ex peristȳlō venit. Aemilia eum interrogat: "Ubi est vir meus? Estne in peristȳlō?" Dāvus respondet: "Dominus in hortō est et Mēdum vocat, sed Mēdus abest neque venit."

AEMILIA: "Mēdus nōn venit quia nummōs dominī suī habet. Is servus improbus est!" Dāvus tacet. Iūlius ex hortō venit sine Mēdō. Sacculum suum in mēnsā pōnit.

IŪLIUS: "Ecce sacculus meus. In eō nōn centum, sed tantum decem nummī sunt. Cēterī nummī sunt in sacculō Mēdī!" Dominus suum Mēdum servum accūsat.

AEMILIA: "Nōn decem, sed tantum novem nummī sunt in sacculō tuō."

Iūlius paucōs nummōs suōs numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem. Quid? Novem tantum? Cūr ūnus nummus abest?"

AEMILIA: "Quia in sacculō Dāvī est, neque tuus, sed Dāvī est nummus. Ecce Dāvus adest. Is nūllum tuum nummum habet. Nōn Dāvum, sed Mēdum accūsā!"

DĀVUS: “Ecce sacculus meus, domine. In eō ūnus est nummus, quī meus est.”
IŪLIUS: “Ō Dāve, nummum habē, bone serve! Nōn meus, sed tuus est.”
Aemilia rīdet. Etiam Iūlius rīdet neque Dāvum, servum probum, accūsat.

Capitulum VI

Mēdus et Cornēlius

Lȳdia est fēmina pulchra quae Rōmae habitat. Estne fēmina Rōmāna? Nōn Rōmāna est, sed Graeca. Lȳdia autem procul ā Graeciā habitat. Estne sōla? Lȳdia sōla habitat, neque sōla est Rōmae, nam multās amīcās Rōmānās et Graecās habet. Etiam amīcum habet Lȳdia, neque is Rōmānus est, sed Graecus, neque Rōmae habitat, sed prope oppidum Tūsculum. Amīcus Lȳdiae est Mēdus, servus Iūliī. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur. Estne Mēdus apud dominum suum? Mēdus nōn est in vīllā apud dominum, neque Tūsculī est, sed in viā Latīnā inter Rōmam et Tūsculum. Quō it Mēdus sine dominō suō? Rōmam it.

Mēdus laetus est et cantat, quia ad amīcam suam ambulat. Sed iam tacet Mēdus. Cūr iam nōn cantat servus? Mēdus tacet neque cantat, quia videt dominum Rōmānum quī equō vehitur Rōmā Tūsculum. Quis est dominus quem videt Mēdus? Est Cornēlius, quī Tūsculī habitat. Is ā Mēdō timētur, quia Iūliī est amīcus.

Cornēlius (ad equum suum): "Ecce servus quī sōlus Rōmam ambulat. Cuius is est servus? estne servus Iūliī? Is est!" Verba Cornēliī ab equō tantum, nōn ā Mēdō audiuntur.

Iam Cornēlius prope Mēdum est, neque ab eō salūtātur! Neque Cornēlius servum salūtat, sed interrogat: "Quis est dominus tuus, serve? Estne Iūlius?"

Mēdus, quī amīcum Iūliī timet, nūllum verbum respondet, et Rōmam ad amīcam suam ambulat. Iam Cornēlius post Mēdum est neque eum rūrsus interrogat. Cornēlius, quī sōlus equō vehitur, interrogat equum: "Cūr servus mē nōn salūtat, sed tacet neque respondet?"

Equus verba dominī audit neque verbum respondet, sed tantum "Hihihī!" – nam equus verba nōn habet!

Ecce Mēdus per portam Capēnam Rōmam intrat et laetus ad ōstium Lȳ̂diae ambulat. Mēdus ōstium pulsat et intrat. Lȳ̂dia laeta amīcum suum salūtat et ab amīcō suō salūtātur.

Capitulum VII

Equus et servus

Cornēlius vir Rōmānus est, quī Tūsculī vīllam suam habet, quae nōn est magna, quia Cornēlius nōn habet magnam pecūniam neque multōs servōs, sed pulchra est: in eā est ātrium, ubi est impluvium plēnum aquae; peristȳlum cum parvō hortō, in quō multae rosae multaque līlia sunt. Cornēlius in eā vīllā nōn sōlus, sed cum paucīs servīs habitat; ūnum habet fīlium, Sextum, cuius māter est Fabia, fēmina Rōmāna pulchra et bona. Sextus quoque et Fabia in vīllā cum Cornēliō habitant.

Cornēlius in vīllā dormit cum Fabiā in cubiculō suō. Prope eōs in cubiculō parvō dormit Sextus. Servī, quī paucī sunt, in ūnō cubiculō dormiunt, quia fessī sunt. Geta quoque, ōstiārius Cornēliī, fessus est. Is sedet prope ōstium, sed oculī eius clauduntur. Geta ab ōstiō discēdit, sed ōstium nōn claudit! Is ad cubiculum, ubi cēterī servī dormiunt, it. Iam Geta quoque cum familiā Cornēliī dormit. Equus autem, quī prope vīllam est, nōn dormit. Per ōstium vīllae, apud quod iam nūllus est servus, ātrium et impluvium videt aquae plēnum. Equus per ōstium in vīllam Cornēliī intrat et ad impluvium it! In ātriō autem hortum videt, quī in peristȳlō est: in hortō sunt multae et magnae rosae. Equus per ātrium et peristȳlum ambulat et in hortum intrat, ubi rosās carpit, quae eum dēlectant. Geta autem equum, quī in vīllā ambulat, audit et exit ē cubiculō, ubi cēterī servī, quī nōn audiunt equum, dormiunt. Geta a cēterīs servīs discēdit, intrat in ātrium, sed nūllum equum videt. Servus īrātus est, quia equum audit, sed nōn videt. “Ubi est equus?” Geta sē interrogat. Sed ecce equus hinnit: “Hihihī!” Servus Cornēliī, quī iam audit eum, baculum ex mēnsā, quae est in ātriō, sūmit et ad hortum it. “Heu!”, dīcit, “Quid agit equus? Rosās carpit, ambulat in līliīs! Discēde ab hortō, improbe eque!” Servus, quī baculum ante sē tenet, ad equum it; equus servum īrātum et eius baculum timet; ex hortō per peristȳlum in ātrium intrat; post eum venit Geta: sed ecce! In ātriō est Iūlius, quī cum baculō improbum servum, quī intrat, exspectat.

Speculum Aemiliae

Syra et Dēlia ancillae ex ātriō exeunt.

SYRA: "Venī in cubiculum Iūliae. Illīc bonum speculum est. Iūlia speculum Aemiliae in cubiculō suō habet."

Syra et Dēlia in cubiculum Iūliae intrant. In cubiculō eius est parva mēnsa. Syra videt speculum, quod in mēnsā est.

SYRA: "Ecce speculum in mēnsā. Claude oculōs, Dēlia!"

Dēlia oculōs claudit. Syra speculum sūmit et ante Dēliam tenet.

SYRA: "Iam aperī oculōs!"

Dēlia oculōs aperit et sē videt in speculō, quod ā Syrā tenētur. Oculī Dēliae pulchrī sunt et fōrmōsus est nāsus eius. Dēlia est ancilla fōrmōsa.

SYRA: "Ecce oculī tuī pulchrī et nāsus tuus fōrmōsus."

Dēlia verbīs Syrae dēlectātur et sē ad eam vertit. In oculīs Syrae lacrimās videt.

DĒLIA: "Quid est, Syra? Ecce lacrimae in oculīs tuīs!"

SYRA: "Oculī meī nōn tam pulchrī sunt quam tuī et foedus est nāsus meus."

DĒLIA: "Ō Syra! Tergē oculōs! Nōn pulchrī sunt oculī plēnī lacrimārum. Sine lacrimīs pulchrī sunt oculī tuī, neque nāsus tuus foedus est, sed tam fōrmōsus quam – hoc pirum!"

Syra oculōs terget et Dēliam interrogat: "Iamne pulchrī sunt oculī meī?"

Dēlia rīdet et eī speculum dat: "Ecce speculum. Vidē oculōs tuōs in speculō."

Syra speculum ante sē tenet – neque rīdet neque lacrimat.

Aemilia in cubiculō suō ancillās suās exspectat, neque ancillae veniunt; itaque Aemilia eās vocat: "Syra et Dēlia! Venīte!"

Ancillae, quae dominam suam audiunt, ex cubiculō Iūliae exeunt et in cubiculum Aemiliae intrant. Illīc nōn sōlum Aemilia, sed etiam Iūlia adest.

Aemilia imperat: "Syra, ī cum Iūliā in hortum! Illīc inter rosās ambulāte, nam Iūlia rosīs dēlectātur." Syra cum Iūliā discēdit. Aemilia (ad Dēliam): "Sūme speculum, Dēlia, et ante mē tenē!"

DĒLIA: "Sed speculum tuum hīc nōn est."

AEMILIA: "Quid? Ubi est speculum meum? Cūr in mēnsā meā nōn est?"

SYRA: "Speculum tuum est in cubiculō Iūliae. Iūlia speculum tuum habet."

AEMILIA: "Quid agit Iūlia cum speculō meō?"

Capitulum VIII

Ōrnāmenta dominae

Aemilia in cubiculō suō est cum Dēliā ancillā. Dēlia dominam suam ōrnat: margarītās pulchrās circum collum Aemiliae pōnit. Aemilia ōrnāmentīs dēlectātur neque sine ōrnāmentīs ē cubiculō exit. Multās margarītās et gemmās pulchrās habet, neque ūnum tantum ānulum, sed decem ānulōs gemmātōs. Aemilia multa ōrnāmenta ā virō suō pecūniōsō accipit.

Aemilia ancillae suae sacculum ostendit: "In hōc sacculō nōn nummī, sed ānulī sunt. Ecce ānulī gemmātī quī mē dēlectant." Domina quattuor ānulōs gemmātōs ē sacculō sūmit et in mēnsā pōnit.

DĒLIA: "Ō, quam pulchrī sunt illī ānulī!"

Aemilia ūnum ex quattuor ānulīs sūmit et Dēliae ostendit: "Aspice hunc ānulum! Pretium huius ānulī est mīlle et centum sēstertiī."

DĒLIA: "Id māgnum pretium est!"

Dēlia ānulum sūmit et ante oculōs suōs tenet; gemmam ānulī aspicit.

DĒLIA: "In hōc ānulō nōn tanta gemma est quanta in illō." Dēlia mōnstrat alium ānulum gemmātum, quī in mēnsā est.

AEMILIA: "Tanta gemma ad tam parvum ānulum nōn convenit. Et pretium illīus gemmae nōn tantum est quantum huius. Haec gemma sōla mīlle sēstertiīs cōnstat. Hunc ānulum pōne in digitō meō!"

Ancilla ānulum gemmātum in digitō dominae pōnit. In quō digitō? In digitō quārtō, nam ānulus ad eum digitum convenit. Aemilia laeta digitum suum aspicit.

AEMILIA: "Speculum tenē ante mē!"

Dēlia speculum tenet ante dominam, quae sē cum margarītīs suīs fōrmōsīs aspicit. Et ānulō et margarītīs dēlectātur. Aemilia cum ōrnāmentīs ē cubiculō exit neque ōstium post sē claudit.

Dēlia, quae iam sōla est in cubiculō, ānulōs trēs quī in mēnsā sunt aspicit. Ōstium claudit, et ex ānulīs sūmit eum quī māgnam gemmam habet.

DĒLIA: "Quam pulcher est hic ānulus! Neque haec gemma nimis māgna est. Etiam ad meum digitum convenit ānulus!"

Dēlia ānulum Aemiliae in digitō suō pōnit. Digitum cum ānulō laeta aspicit – neque cum ōrnāmentīs ē cubiculō exit.

Dēlia, quae ancilla proba est, trēs ānulōs rūrsus in sacculō dominae pōnit et sine ōrnāmentīs exit ē cubiculō. Dēlia ōstium post sē claudit.

Dominae Rōmānae multīs ōrnāmentīs pulchrīs ōrnantur. Ancillae nūlla aut pauca ōrnāmenta habent.

Capitulum IX

Dominī et equī

Iūlius et Cornēlius sunt dominī Rōmānī. Iūlius est dominus pecūniōsus, quī māgnam vīllam habet et māgnam familiam, id est multōs servōs. Etiam decem equōs fōrmōsōs habet Iūlius.

Cornēlius nōn tam pecūniōsus est quam Iūlius: is decem tantum servōs habet, et ūnum equum album. Cornēlius equum suum amat. Iūlius imperat: "Dūc equum ante ōstium, Syre!"

Ex decem equīs Iūliī Syrus sūmit illum nigrum quem dominus ante aliōs amat eumque ante ōstium dūcit. Iam dominus in equō est. Iūlius equō vehitur Tūsculum ad amīcum suum Cornēlium. Iūlius ante ōstium Cornēliī cōnsistit et amīcum suum, quī exit, salūtat: "Salvē, amīce! Sūme equum tuum et venī in silvam!" Amīcī duo oppidum relinquunt et per vallem ad silvam eunt. Equī laetī per campum currunt. Ovēs, quae errant in campō, equōs timent et ad pāstōrēs suōs accurrunt. Canēs pāstōrum lātrant. Iam equī fessī ante rīvum cōnsistunt. Dum equī aquam bibunt ē rīvō, dominī caelum aspiciunt. Nūlla nūbēs vidētur, sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Itaque Iūlius et Cornēlius umbram petunt: campum relinquunt et in silvam intrant. Iam in umbrā sunt sub arboribus. Equī iam nōn currunt, sed inter arborēs ambulant.

Hīc equus Cornēliī cōnsistit et hinnit: "Hihihī!" Equus terram ante sē aspicit et nāsum pōnit ad terram.

Iūlius equum suum vertit et interrogat: "Cūr equus tuus cōnsistit?"

CORNĒLIUS: "Quia vestīgia videt in terrā."

IŪLIUS: "Quae vestīgia?"

Cornēlius, quī iam in terrā est ante equum, vestīgia quaerit et lupī vestīgia reperit. Vestīgia digitō mōnstrat: "Ecce vestīgia lupī. Nōn procul abest lupus ipse." Lupus autem procul in monte ululat: "Huhuhū!"

Equus Cornēliī, quī lupum audit, rūrsus hinnit: "Hihihī!" Equus Iūliī lupum nōn audit neque hinnit.

CORNĒLIUS: "Equus meus lupum timet." Cornēlius equum suum tenet.

IŪLIUS: "Meus equus nōn timet lupum!"

CORNĒLIUS: "Neque lupus equum tuum timet!"

CORNĒLIUS, quī prope vestīgia lupī etiam alia vestīgia reperit: "Quid hoc est? Nōn sōlum lupī, sed etiam ovis vestīgia hīc sunt!" Iūlius: "Quid agit ovis in silvā cum lupō? Num lupum amat ovis?" Cornēlius: "Nōn lupum ovis, sed lupus ovem amat – atque amīcam suam ēst!"

Nōn servī, sed amīcī

Caecilius est pecūniōsus tabernārius Rōmānus, quī Rōmae magnam tabernam habet, in viā ubi multī virī et multae fēminae ambulant.

Iūlius quoque in illā viā ā servīs suīs lectīcā vehitur et ante Caeciliī tabernam cōnsistit, quia pulchra videt ōrnāmenta. Caecilius Iūlium salutat: "Salvē, Iūlī!", eīque ōrnāmenta, quae in tabernā habet, ostendit.

Iūlius autem dīcit: "Haec ōrnāmenta neque ad collum neque ad digitōs Aemiliae conveniunt: nam Aemilia in collō et in digitīs habet tantum pretiōsās margarītās et gemmās pulchrās. Hae gemmae nōn tam pulchrae sunt quam gemmae, quās Aemilia iam habet. Ubi sunt alia ōrnāmenta? Ostende mihi!"

pretiōsus -a -um = quod magnō pretiō cōnstat

Caecilius respondet: "Cētera ōrnāmenta nōn sunt hīc, sed in vīllā meā; venī igitur ad vīllam: nōn procul est ab hāc tabernā." Caecilius et Iūlius imperant servīs suīs: "Exspectāte hīc!" et abeunt ad Caeciliī vīllam. Sōl nōn iam lūcet in caelō: in viīs parvīs, per quās Caecilius et Iūlius ambulant, umbrae sunt.

Duo virī improbī post vīllae mūrum sē occultant. "Ecce Caecilius et Iūlius adsunt" dīcunt inter sē; "Sunt virī pecūniōsī. Habent sacculōs nummōrum plēnōs." Virī illī improbī ad Caecilium et Iūlium, quī sōlī in viā sine servīs ambulant, currunt eōsque magnīs baculīs pulsant; Iūlius et Caecilius iam in terrā sunt, sed illī improbī virī verberant eōs quī in terrā iacent; Iūlius clāmat; Lēander, quī dominum audit, accurrit cum aliīs servīs; improbī illī virī vident quattuor servōs, quōs timent, et fugiunt.

re-venīre = rūrsus venīre

Iūlius revenit ad vīllam suam, quae prope Tūsculum est. Ecce Iūlius ad vīllam adve-

nit. Servī lectīcam ante ōstium pōnunt; dominus per ōstium in ātrium vīllae intrat et servōs suōs vocat. Lēander et aliī trēs servī accurrunt. Iūlius sūmit sacculum ex cubiculō suō, et servīs magnam pecūniam dat, quia probī sunt. Iūlius eōs nōn iam 'servōs' sed 'amīcōs' vocat. Lēander et aliī amīcī laetī sunt: nam dominus eōs amat.

Capitulum X

Pater abest, adest māter

In vīllā Iūliī sunt multa cubicula. Dāvus cum multīs aliīs servīs in ūnō cubiculō dormit. Nōn māgnum est cubiculum servōrum, in quō multī servī dormiunt. Dum dormiunt, anima in pulmōnēs intrat et rūrsus ē pulmōnibus exit.

Dāvus, quī est vir crassus, stertit: "Ssst-rrrch, ssst-rrrch…!" Lēander et aliī servī, quī prope Dāvum iacent, nōn dormiunt, quia Dāvum stertere audiunt. Ergō Lēander digitum suum in nāsō Dāvī pōnit. Iam nōn stertit Dāvus; is cēterīque servī bene dormiunt. Līberī quoque bene dormiunt in cubiculīs suīs. Sed Aemilia dormīre nōn potest, quia sōla iacet in māgnō lectō sine virō suō. Cūr Aemilia sōla est in cubiculō? Aemilia sōla est quia Iūlius, vir eius, abest. Ubi est Iūlius? Iūlius Rōmae est.

Aemilia exit ē cubiculō, ōstium post sē claudit et intrat in ātrium, ubi circum impluvium ambulat. Mārcus, quī hominem in peristȳlō ambulāre audit, timet et sē interrogat: "Quis est quī ambulat in ātriō, dum servī et līberī dormiunt?" Mārcus vult vidēre hominem quī in vīllā ambulat, dum familia dormit. Ē lectō exit atque ōstium aperit, neque ē cubiculō suō exīre audet. Baculum, quod post ōstium iacet, sūmit, quia virum illum improbum, quī in vīllā ambulāre audet, pulsāre vult: "Pater familiae Rōmae est. Cum dominus procul ā vīllā abest, fīlius eius est dominus! Necesse est sine timōre virum improbum petere…!"

Aemilia, quae ōstium aperīrī audit, ad cubiculum Mārcī sē vertit; sed Mārcus, cum hominem per umbram ātriī ad sē ambulāre audit, perterritus est: baculum pōnit, ōstium claudit, atque mēnsam post ōstium pōnit. Māter, quae ōstium aperīre vult neque potest, imperat: "Aperī, Mārce! Māter tua est." Mārcus vōcem Aemiliae audit, et ōstium aperit.

MĀRCUS: "Ō mamma! Vir improbus in ātriō ambulat et…" Māter rīdet, et fīliō suō ōsculum dat: "Nōn est vir improbus, sed fēmina proba, quae virum suum probum exspectat! Pater abest, sed māter tua apud tē adest."

Et Aemilia et Mārcus rīdent et rūrsus lectōs suōs petunt.

Puer et canis

Antōnius est puer improbus, quī apud Tūsculum in vīllā cum patre, mātre et servīs habitat. Puer, quī per campōs prope patris vīllam ambulāre solet, in hortō arborem magnam videt, cuius rāmī sunt mālōrum plēnī. Cum Antōnius ad arborem adit, ea māla pulchra, quae in rāmīs videt, carpere vult. “Num dominus huius hortī mē videt?” inquit puer, quī circum sē aspicit, nūllum autem hominem videt. Itaque rāmum capit et in arborem ascendit. Iam inter māla in rāmō est, unde caelum suprā sē videt, in quō sōl lūcet sine nūbibus; iam pulchrum et magnum mālum ante oculōs tenet; laetus est, quia mālum eum dēlectat. Sed ecce: canem sub arbore lātrāre audit! Canis īrātus, quī videt puerum inter rāmōs arboris mala carpere, dentēs ostendit! Puer sē inter rāmōs et folia arboris occultāre vult, sed canis, quī eum illīc esse videt, ad eum lātrat et ululat ut lupus. Puer tamen ex rāmō sē movēre nōn audet; ergō canis sub arbore iacet et exspectat.

Puer inter arboris rāmōs exspectat: sed canis nōn abit. Cum puer inter rāmōs movētur, canis īrātus lātrat dentēsque ostendit. “Eheu!” inquit Antōnius, “nōn canis est hic, sed leō ferus!” Puer nōn iam vult ēsse illa pulchra māla, quae in arbore sunt: nunc Antōnius ad vīllam suam rūrsus īre vult, neque potest. Puer nōn iam laetus est, sed lacrimat: nam sōl iam post montēs est, et māter eum in vīllā exspectat. Sed ecce! puer lupum procul in silvā ululāre audit! Canis quoque audit vōcem lupī, sed lupum ipsum, quī procul est, nōn videt. Sed ecce lupus ferus ex silvā in campum exit, et ad canem, quī sub arbore est, currit! Canis relinquit puerum, quī in rāmō arboris est, et lupum dentibus suīs petit. Canis lātrat; lupus ululat et dentium suōrum vestīgia in canis collō relinquit. Dum haec aguntur, puer ex arbore discēdit et ad vīllam suam currit. Canis et lupus puerum abīre neque vident neque audiunt, quī ad mātrem suam, quae in vīllā eum exspectat, accurrit.

Tabernāriī Iūliī

Iūlius lectīcā Tūsculum vehitur ā servīs suīs. Unde venit dominus et quō it? Ā vīllā venit et Tūsculum it. Is enim tabernās habet Tūsculī atque ā tabernāriīs suīs pecūniam accipere vult. Tabernāriī, cum dominum venīre vident, eum salūtant, neque laetī sunt, quia iīs necesse est dominō pecūniam dare. Grūmiō est tabernārius Iūliī, quī pānem vēndit, neque māgnam pecūniam facit. Is Iūlium procul in viā ad sē venīre videt, et eum timet, quia paucōs nummōs habet. Ursus et Dāvus, servī Iūliī, quī lectīcam cum dominō portant, ante tabernam Grūmiōnis cōnsistunt. Iūlius ē lectīcā tabernārium salūtat: “Salvē, Grūmiō!” et ab eō salūtātur: “Salvē, domine!”

Dum Iūlius ē lectīcā exit et tabernam Grūmiōnis aspicit, tabernārius ad Ursum sē vertit et eum parvā vōce interrogat: “Cūr dominus Tūsculum venit?” Ursus respondet: “Dominus ad tabernāriōs suōs adit, quia pecūniam habēre vult.” Rīdet Ursus, neque Grūmiō rīdet: is verbīs Ursī nōn dēlectātur!

Grūmiō Iūliō pānem ostendit: “Ecce pānis meus bonus.” Iūlius: “Quī bonum pānem vēndit, māgnam pecūniam facit.” Grūmiō: “Sed multī aliī sunt tabernāriī quī pānem vēndunt. Ergō necesse est pānem parvō pretiō vēndere. Nēmō quī pānem vēndit māgnam pecūniam facit.” Iūlius: “Mea est haec taberna: necesse est dominō tabernae dare pecūniam: centum sēstertiōs!” Grūmiō: “Centum sēstertiōs! Tanta pecūnia apud mē in hāc tabernā nōn reperītur.” Grūmiō Iūliō ostendit sacculum suum, quī neque vacuus neque plēnus est. Iūlius: “Quot sēstertiī īnsunt in sacculō tuō?” Grūmiō nummōs numerat: “Ūnus, duo, trēs, quattuor … nōnāgintā: ecce nōnāgintā sēstertiī īnsunt.” Iūlius (īrātus): “Nōn satis est!” dīcit, sed pecūniam sūmit et in sacculō suō pōnit. Iam sacculus Grūmiōnis vacuus est.

Iūlius rūrsus in lectīcam ascendit et ā tabernā Grūmiōnis vehitur ad aliam tabernam suam, quae est in viā ubi multī virī pecūniōsī habitant. Tabernārius est Eumolpus, neque is pānem, sed gemmās vēndit. Quī gemmās vēndit, māgnam pecūniam facere potest. Iūlius ergō ā tabernāriō suō Eumolpō māgnam pecūniam accipere vult.

Pater revenit

Iūlius, cum Tūsculō rūrsus vīllam suam petit, sacculum nummōrum plēnum habet. In lectīcā habet etiam id quod Aemiliae līberīsque suīs dare vult: ōrnāmenta pulchra et māgnam pilam et avem vīvam quae canit. In vīllā Aemilia et līberī eum exspectant. Dominus ad vīllam suam advenit, ē lectīcā exit et per ōstium in ātrium intrat cum servō quī māgnum saccum portat. In ātriō pater familiam suam salūtat et ab Aemiliā et līberīs laetīs salūtātur. Servus saccum pōnit ante dominum, et Iūlius ē saccō sūmit gemmās, margarītās et alia ōrnāmenta, quae Aemiliae dat, māgnam pilam, quam Quīntō et Mārcō fīliīs dat, atque avem vīvam quae canit: eam avem dat suae Iūliae fīliae. Aemilia novīs ōrnāmentīs dēlectātur et virō suō multa ōscula dat. Etiam fīliī dēlectantur novā pilā et patrī suō ōscula dant; atque Iūlia, quae laeta avem suam canere audit, Iūliō nōn sōlum ōscula, sed etiam rosās dat. Puerī exeunt in hortum, ubi inter rosās līliaque pilā lūdunt. Syra, quae eōs illīc lūdere videt, īrāta est, quia puerī inter rosās currunt et foeda vestīgia in terrā faciunt. Itaque Syra clāmat: “Ō puerī improbī! Hortus nōn est campus ubi puerī pilā lūdere possunt! Discēdite ē rosīs meīs!” Mārcus eam interrogat: “Num tuae sunt rosae quae sunt in hortō? Cūr Iūlia rosās carpere et cum cane suā Margarītā in hortō pilā lūdere potest?” Syra respondet: “Iūlia rosās quās carpit Aemiliae dat, quia Aemilia rosīs dēlectātur iīsque vīllam ōrnat. Nōnne tē dēlectant rosae quibus fenestrae vīllae ōrnantur? Neque puella, cum pilā lūdit, pedēs in rosīs pōnit: ea enim rosās amat!” Puerī nōn respondent: tacent et discēdunt.

Asinus quī currit

Iūlius, quī pāstōrem suum et ovēs aspicere vult, campum prope montem Albānum petit cum Mārcō et Quīntō fīliīs. Fīliī ambulant, pater equō vehitur.

Dum Iūlius pāstōrem interrogat et cum eō ovēs numerat, puerī per campum errant. Sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Ovēs herbam carpunt et edunt. Quīntus quoque herbam carpit neque ipse herbam ēst, sed ovibus dat. (Herba est cibus ovium, asinōrum, equōrum aliārumque bēstiārum, nōn hominum!) Ovēs laetae herbam edunt quam Quīntus ante eās tenet.

Avēs laetae in āere volant et canunt; neque enim aquilam timent, quia ea procul in monte abest. Mārcus māgnam avem suprā sē volāre videt.

MĀRCUS: "Aspice illam avem, Quīnte! Estne aquila?" (Illa avis nōn est aquila, nam, cum parvae avēs aquilam volāre vident, inter folia et rāmōs arborum sē occultant.)

Quīntus nōn respondet, is enim currit ad asinum, quī prope silvam herbam carpit. Quīntus, quī asinō vehī vult, ut pater eius equō vehitur, in asinum ascendit. Iam puer super asinum sedet et clāmat: "Curre, asine!" Sed asinus, quī puerum crassum vehere nōn vult, cōnsistit neque sē movet. Iam accurrit Mārcus et asinum baculō pulsat. Asinus perterritus Mārcum pede pulsat et currit! Quīntus ad terram cadit. Mārcus īrātus post asinum currit, neque eum capere potest; fessus ante rīvum cōnsistit et aquam bibit ē rīvō.

Iūlius cum pāstōre ad Quīntum, quī in terrā iacet, accurrit atque eum sustinēre vult, neque necesse est eum sustinēre, nam puer ipse ambulāre potest. Iūlius Mārcum vocat: "Venī, Mārce!" Mārcus Iūlium vocāre audit et ad eum venit.

Dominī Rōmānī nōn asinīs, sed equīs vehuntur, aut lectīcā ā servīs portantur.

Puer in silvā

Iūlius cum Mārcō et Quīntō fīliīs in campō est apud pāstōrem. Iūlius ovēs aspicit et cum pāstōre eās numerat: "Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque ... centum." Numerus ovium est centum, nūlla ovis abest.

Dum pater ovēs aspicit et numerat, Quīntus in campō cum Cerberō, cane pāstōris, lūdit. Parvum rāmum, quī sub arbore iacet, sūmit et ante Cerberum tenet: "Ecce rāmus, Cerbere! Quaere eum!" Iam rāmus per āera volat et procul ā cane ad terram cadit. Cerberus rāmum ut avem volāre videt et post eum currit, rāmum dentibus capit et ad Quīntum portat. Canis rāmum ante pedēs Quīntī pōnit et caudam movet. Quīntus rūrsus rāmum sūmit... Mārcus silvam post rīvum aspicit, et in eam intrāre vult. Mārcus (ad Quīntum): "Ō quam lūcet hīc sōl! Ecce silva in quā umbra est. Venī post mē in silvam!" Quīntus autem in silvam intrāre nōn audet, quia bēstiās ferās timet. Mārcus ergō Quīntum in campō relinquit et silvam petit. Iam Mārcus sine timōre inter arborēs ambulat.

Lupus, quī per silvam errat et cibum quaerit, ululat. Mārcus lupum audit et perterritus est. Puer cōnsistit neque sē movēre audet, nam lupum rūrsus prope sē ululāre audit. Mārcus sē inter arborēs occultat.

Iūlius quoque, dum ovēs numerat, lupum ululāre audit. Circum sē aspicit neque Mārcum videt. Pater sē interrogat: “Ubi est Mārcus?” et ipse respondet: “Nōn in campō, sed in silvā est! Necesse est eum in silvā quaerere!”

Iūlius et pāstor cum cane ovēs relinquunt et Mārcum in silvā quaerunt. Pāstor imperat: “Quaere Mārcum, Cerbere!” Canis vestīgia puerī in terrā reperit. Iūlius māgnā vōce clāmat: “Mārce! Venī!” Mārcus clāmōrem Iūliī audit neque respondēre audet, quia lupus prope est eumque reperīre potest. Iam lupus puerum videt, sed ecce canis Cerberus accurrit et post eum Iūlius cum pāstōre. Cerberus lātrat et dentēs ostendit, Iūlius baculum movet et clāmat: “Abī, lupe! Abī! Puer nōn est cibus tuus!”

Lupus videt baculum, hominēs, canem īrātum – et in montem abit.

Capitulum XI

Servī dormiunt

In vīllā Iūliī multa sunt cubicula parva et magna. Magnum est cubiculum Iūliī et Aemiliae, in eō magnus lectus est. Pater et māter in magnō lectō dormiunt. Cubicula līberōrum parva sunt et in iīs lectī sunt parvī. Mārcus et Quīntus et Iūlia in parvīs lectīs dormiunt. Servī multī in ūnō cubiculō magnō dormiunt. In cubiculō servōrum nūllī sunt lectī. Servī quī dormiunt nōn in lectīs, sed in terrā iacent. Etiam multae ancillae in ūnō cubiculō dormiunt neque eae lectōs habent. Ecce Dāvus quī cum aliīs servīs fessīs in magnō cubiculō iacet. Paucī servī iam dormiunt, aliī verba faciunt, aliī rīdent. Servī quī dormīre volunt vōcēs aliōrum audiunt nec dormīre possunt.

Syrus, quī Mēdum apud sē nōn videt, Lēandrum interrogat: "Ubi est Mēdus? Cūr hīc nōn dormit? Estne aeger?"

LĒANDER: "Mēdus sānus est, sed ā vīllā abest, quia nummōs dominī nostrī habet! Dāvus dīcit 'Mēdum Rōmae amīcam habēre.' Putat eum Rōmae esse apud amīcam suam."

SYRUS: "Ergō Mēdus nōn sōlus in terrā dormit, sed in lectō cum amīcā suā!"

Syrus et Lēander rīdent.

Dāvus servōs tacēre iubet: "Tacēte, servī! Iam necesse est dormīre." Servī tacent atque oculōs claudunt. Iam nūlla vōx audītur.

Iam Dāvus et aliī multī dormiunt, sed Syrus et Lēander et aliī quī prope Dāvum iacent dormīre nōn possunt, quia Dāvum animam dūcere audiunt!

Dāvus enim stertit: "Zzzzz...ārrch, zzzzz...ārrch!" Syrus, quī fessus est, dormīre vult atque oculōs claudit, nec dormīre potest, quod Dāvum stertere audit. Anima Dāvī nōn vidērī, sed audīrī potest! Syrus oculōs claudere potest, aurēs claudere nōn potest.

SYRUS (īrātus): "Ssst!"

Dāvus rūrsus stertit: "Zzzzz...ārrch!"

SYRUS: "Tacē, Dāve!"

Dāvus nōn respondet, sed Lēander: "Tacē, Syre! Dāvus nūllum verbum facit!"
SYRUS: "Verbum nōn facit, sed stertit. Audī! Nēmō hīc dormīre potest!"
Syrus sē ad Dāvum vertit et digitum suum ad nāsum eius appōnit! Iam nōn stertit Dāvus. Is atque cēterī servī bene dormiunt.

Puer et puellae

Lūcius in vīllā, quae in pulchrō hortō est, ubi multae rosae multaque līlia neque paucae arborēs sunt, cum patre, mātre multīsque servīs habitat nōn procul ā Capuā. Prope Lūciī vīllam duae puellae habitant, Pūbliī, pecūniōsī virī Rōmānī, fīliae, quae pulchrae et probae sunt. Lūcius autem puer improbus est, quī semper puellās rīdet, eāsque stultās esse putat. Hodiē illae puellae in campum eunt, ubi ovēs laetae herbam carpunt dum pāstor cum cane suō eās ex colle spectat. Sōl lucet in caelō, ubi nūllae nūbēs sunt, et puellae, quae sunt fessae, umbram arboris petunt; pāstor, quī eās arborem petere videt, laetus salūtat. Puellae in umbrā sub arbore sedent et ovēs, quae procul in campō errant, numerant: "Ūna, duae, trēs, quattuor..." Dum autem numerant, oculōs claudunt et dormiunt, quia fessae sunt.

Māter Lūcium iubet rosās in campō carpere et ad vīllam afferre: vult enim mēnsam rosīs pulchrīs ōrnāre. Ergō Lūcius ex vīllā exit et ad campum currit. Dum per campum ambulat et rosās, quae ibi multae sunt, carpit, puellās videt procul sub arboris umbrā dormīre. Ad eās adit, quae eum advenīre nōn sentiunt, quia dormiunt. Rosās in terrā pōnit et in arborem, sub quā puellae iacent, ascendit eāsque ex rāmō, quī suprā eās est, spectat. Magnā vōce clāmat: "Heus! Accurrite! Magnus lupus adit ad puellās! Eās ēsse vult!" Puellae perterritae oculōs aperiunt nec lupum vident; Lūciī vōcem audiunt, neque vident Lūcium ipsum, quī inter rāmōs et folia arboris occultātur. Pāstor autem, quī est servus Pūbliī, puellārum patris, improbum puerum inter arboris rāmōs sē occultāre videt; canis pāstōris latrat et dentēs Luciō ostendit. Accurrit pāstōr ad puellās et clāmat: "Dēscende, improbe puer!" Sed Lūcius iubet pāstōrem ipsum in arborem ascendere. Lūcius rīdet pāstōrem et dīcit 'eum timēre'. Ad hoc pāstor nōn respondet, sed dīcit 'rāmōs esse nimis tenuēs, neque eōs puerum crassum sustinēre posse'. Puer autem pāstōrem, quī haec verba dīcit, rīdet, et in aliōs rāmōs, quī sunt suprā eius caput, ascendit. Sed ecce! Rāmus tenuis, in quō Lūcius pedēs

suōs pōnit, ad terram cum puerō cadit! Puer in terrā iacet perterritus: nunc pāstor et puellae rīdent!

Capitulum XII

Puer armātus

Avunculus Mārcī, cui nōmen est Aemilius, in Germāniā mīlitat. Illīc exercitus Rōmānus fīnēs imperiī Rōmānī ā Germānīs dēfendit. Castra exercitūs mīlle passūs ā flūmine Rhēnō sunt in magnā silvā, ubi hostēs sē occultant. Mīlitēs Rōmānī impetum Germānōrum ex- spectant, neque hostēs barbarōs timent. Rōmānī enim bona arma habent atque circum castra fossa et vāllum altum est. Germānī castra Rōmāna expugnāre nōn possunt.

Mārcus Aemilium mīlitem fortem esse putat. Puer ipse mīlitāre vult ut avunculus suus, neque arma habet Mārcus, et Iūlius dīcit 'nūllōs puerōs mīlitāre aut arma ferre posse.'

Quid igitur facit Mārcus? Arcum facit ex rāmō et līneā; etiam sagittās facit ex rāmīs tenuibus.

Dum Mārcus arcum facit, Iūlia in hortō lūdit cum cane suā Margarītā. Sub arbore puella rāmum reperit. Iūlia canī rāmum ostendit: "Ecce rāmus, Margarīta! Quaere eum!" rāmumque procul ā cane iacit. Canis rāmum quaerit, reperit, ad Iūliam portat. Canis rāmum ante pedēs Iūliae pōnit et caudam movet.

Mārcus frātrem suum vocat atque eī arcum suum novum ostendit: "Ecce arcus meus, Quīnte. Iam mīles fortis est frāter tuus!" Quīntus: "Mīles Rōmānus gladiō et pīlō armātus est, nōn arcū et sagittīs. Ea arma sunt Hispānōrum et Gallōrum quī in exercitū Rōmānō mīlitant."

MĀRCUS: "Sed exercituī necesse est arcūs et sagittās habēre, neque enim pīla gravia procul iacī possunt. Sagittae procul volant quia levēs sunt."

Mārcus sagittam sūmit et in arcū pōnit. Ecce sagitta ex arcū iacitur et in hortō prope Iūliam ad terram cadit. Iūlia perterrita sagittam prope caput suum volāre sentit – sagitta aurem eius tangit! Syra, quae cum Iūliā in hortō est, sagittam prope Iūliam volāre videt atque īrāta ad Mārcum currit. Mārcus, quī Syram accurrere videt, arcum

ad terram iacit atque fugit. Syra arcum Mārcī manū capit eumque procul ex hortō iacit. Mārcus trīstis arcum suum volāre aspicit.

Canis quoque arcum volāre videt. Canis etiam illum rāmum quaerit ac reperit, neque eum ad Mārcum portat.

Quīntus rīdet, quod 'mīlitem fortem' sine armīs fugere videt!

Ancillae nōn bene pārent

Māne est in Iūliī vīllā, ubi iam multī servī ex cubiculīs suīs exeunt et ad dominōs suōs currunt. Aemilia in cubiculō suō, quod māius est quam cētera vīllae cubicula, et ubi domina cum virō suō dormit, sedet, dum eius capillum ōrnant duae ancillae, Dēlia et Syra. Illa enim speculum ante dominam suam tenet, haec, quae post Aemiliam stat, in capillīs eius pulchrās margarītās pōnit. Sed Aemilia est īrāta, quia ancillae nōn bene pārent; cum enim domina imperat Dēliae: "Tenē speculum!" ancilla manibus suīs speculum movet, neque Aemilia in speculō sē spectāre potest; cum autem Syrae dīcit: "Mē nōn dēlectant hae margarītae parvae. Sūme illās margarītās māiōrēs ex mēnsā!", margarītae ex manibus Syrae, quae nōn bene eās digitīs tenēre potest, ad terram cadunt. "Ō, quam improbae sunt hae ancillae meae!" Aemilia clāmat, et "Abīte!" imperat, "Discēdite, et Iūliam arcessite! Ea enim in oppidum venīre vult." Ancillae exeunt et Iūliam vocant, quae ad mātrem accurrit. Mater autem fīliae suae sē ad tabernam, quae in oppidō est, īre velle dīcit, cuius tabernārius cibōs bonōs nōn magnō pretiō vendit: "Venī tū quoque in oppidum, Iūlia. Tē enim dēlectat tabernās aspicere et bonōs cibōs emere." Iūlia gaudet et cum mātre in oppidum ā servīs lectīcā vehitur.

Capitulum XIII

Canis stultus

Sōl in caelō, ubi nūllae nūbēs sunt, lūcet, et aliae avēs, quae in caelō volant, laetae cantant, aliae inter arborum rāmōs et folia nīdōs suōs faciunt. In campīs pāstōrēs sub arborum umbrā iacent, dum ovium gregēs errant et herbam, quae eās dēlectat, carpunt et edunt. Viae, quae per campum ad oppidum dūcunt, sunt plēnae multārum bēstiārum, quae cum hominibus ad oppidum eunt. Ante servōs, quī ex campīs ad vīllās reveniunt, asinī ambulant, quī saccōs mālōrum vel pirōrum plēnōs portant; dominī pulchrīs et magnīs equīs vehuntur; pāstōrēs, quī ovēs dūcunt, et puerī, quī pilā lūdunt, cum canibus suīs per viās errant. Sunt vērō etiam bēstiae quae sōlae, sine hominibus, per campum et viās errant. Inter eās bēstiās est canis, quī videt puerum sub arbore dormīre. Apud puerum, super saccum, quī iacet in terrā, pānis cum bonō cibō est. Canis adit ad puerum, quī eum advenīre nōn sentit, quia dormit: est enim fessus. Canis igitur, quī ventrem vacuum habet, cibum ōre capit et fugit procul ā puerō.

Canis, quī cibum in ōre tenet, in ponte, quī suprā parvum rīvum apud oppidum est, ambulat, quia vult in silvā sē occultāre inter arborēs et illīc cibum suum ēsse. Dum vērō in ponte est, in aquā rīvī sē ipsum, ut in speculō, videt, et putat alium canem illīc esse; in ōre illīus canis cibum videt, et putat illum meliōrem esse quam cibum, quem ipse iam habet. Quid ergō facit canis stultus? Ōs suum aperit, quia cibum canis, quem in aquā videt, capere vult; cibus autem ex ōre canis in rīvum cadit: canis nūllum iam cibum habet. Nam quī nimis multum cibum habēre vult, saepe nūllum habēre potest.

Kalendārium Rōmānum

Cornēlius suō Sextō fīliō kalendārium mōnstrat: "Ecce kalendārium Rōmānum, Sexte, cum nōminibus mēnsium et numerō diērum. Annus tōtus quot mēnsēs et quot diēs habet?"

SEXTUS: "Duodecim mēnsēs et trecentōs sexāgintā quīnque diēs."

CORNĒLIUS: "Hoc est kalendārium novum. In kalendāriō Rōmānō antīquissimō numerus mēnsium erat decem tantum, non duodecim. Tunc mēnsis annī prīmus erat Mārtius, id est initium vēris; ante Mārtium hiems erat sine nōmine mēnsium. Ergō necesse erat annō dare duōs novōs mēnsēs: Iānuārium et Februārium. Quam longus est mēnsis Iānuārius?"

SEXTUS: "Iānuārius ūnum et trīgintā diēs longus est."

CORNĒLIUS: "Quī mēnsis brevissimus est?"

SEXTUS: "Februārius, quī duodētrīgintā tantum diēs habet."

Cornēlius interrogat: "Quī diēs annī brevissimus est?"

Sextus nōn respondet, neque enim diēs nōmināre potest.

CORNĒLIUS: "Diēs brevissimus – et nox longissima – est ante diem octāvum kalendās Iānuāriās. Diēs longissimus – et nox brevissima – ante diem octāvum kalendās Iūliās est. Eō diē sōl altissimus est in caelō. Diēs et hōrae longiōrēs sunt aestāte quam hieme et breviōrēs hieme quam aestāte."

SEXTUS: "Quid? Nōnne tōtō annō aequae sunt hōrae?"

CORNĒLIUS: "Tōtō annō, et aestāte et hieme, diēs in duodecim hōrās dīviditur, ergō hōrae diēī longiōrēs sunt aestāte quam hieme."

SEXTUS: "Aestāte diēs et hōrae nōn sōlum longiōrēs, sed etiam calidiōrēs sunt. Quī mēnsis annī calidissimus est?"

CORNĒLIUS: "Mēnsis annī calidissimus est Iūlius, et Augustus prope tam calidus est quam Iūlius. Iī duo mēnsēs nōn ā deīs, sed ab hominibus nōminantur: Iūlius ā Iūliō Caesare et Augustus ā Caesare Augustō. Ante tempora Iūliī Caesaris et Caesaris Augustī nōmina eōrum mēnsium erant 'Quīntīlis' et 'Sextīlis' ā numerīs 'quīntō' et 'sextō', quia in kalendāriō antīquō mēnsis prīmus erat Mārtius; Iūlius igitur mēnsis quīntus erat et Augustus mēnsis sextus."

SEXTUS: "Etiam praenōmina sunt 'Quīntus' et 'Sextus'. Mēnsis Sextīlis igitur nōminātur ā meō praenōmine 'Sextō' et Quīntīlis ā praenōmine amīcī meī 'Quīntī'! Cūr numerī sunt praenōmina nostra?"

CORNĒLIUS: "In familiīs antīquīs magnus numerus erat līberōrum, ergō fīliō quīntō nōmen erat 'Quīntus' et fīliō sextō 'Sextus'. Nunc, quia paucī sunt līberī, etiam fīliō prīmō aut secundō praenōmen datur 'Quīntus', ut fīliō Iūliī secundō, aut 'Sextus', ut fīliō meō prīmō."

Sextus gaudet quod patrī eius nōn sex fīliī sunt, sed ūnus tantum!

Capitulum XIV

Asinus currēns

In campō prope hortum Iūliī puerī pilā lūdere solent. Mārcus pilam sūmit et “Venī mēcum in campum, Quīnte!” inquit. Mārcus in campō cum frātre suō pilā lūdere vult.

Mārcus et Quīntus campum petunt cum cane, cui nōmen est Cerberus. Puerī pilā lūdere incipiunt. Alter ad alterum pilam iacit, prīmum Mārcus ad Quīntum, quī pilam capit et ad Mārcum iacit. Mārcus pilam capit et rūrsus ad Quīntum iacit neque Quīntus pilam capere potest – sed canis pilam capit! Iam canis ante Quīntum stat pilam ōre tenēns.

Quīntus pilam ā cane poscit: “Dā mihi pilam, Cerbere!” Canis autem pilam dentibus tenet neque eam relinquit.

Prope puerōs lūdentēs parvus asinus in herbā iacet. “Ille asinus mē portāre potest” inquit Mārcus, atque ad asinum adit.

“Surge, asine!” inquit, et asinum pede pulsat. Asinus surgit, et Mārcus eum ascendit. Iam puer super asinum sedēns “Ecce equus meus, Quīnte!” inquit, “Eques fortis est frāter tuus!”

QUĪNTUS: “Quī asinō vehitur eques nōn est! Neque asinus tē vehere vult.”

Mārcus asinum manū verberat et clāmat: “Curre, asine!” sed asinus, quī puerum gravem vehere nōn vult, quiētus stat neque sē movet.

Asinus rudit: “Hīaāhīaā!”

Canis asinum rudere audit et lātrat: “Baubau!” Pila ex ōre canis cadit. Quīntus pilam capit eamque in asinum iacit! Asinus perterritus currit – et Mārcus ad terram cadit! Asinus eum cadentem pede pulsat.

In herbā iacēns Mārcus asinum currentem aspicit. “Cōnsiste, asine!” clāmat puer, sed asinus ab eō fugit. Canis post asinum currit.

Quīntus rīdet quod ‘equitem fortem’ in herbā iacentem videt.

Mārcus īrātus “Stultus est asinus!” inquit.

QUĪNTUS: “Quī asinō vehitur tam stultus est quam asinus suus! Surge, ‘asine’!”

Fortis mīles Rōmānus

Antōnius, fortis vir Rōmānus in Germāniā mīlitāns, cum Hispānō, quī Rōmānōrum exercituī pāret, per viam longam, quae ab oppidō ad castra dūcit, ambulat. Dum laetī campōs aspiciunt in quibus iam prīmae rosae rubrae videntur, ex silvā duo Germānī magnā vōce clāmantēs in eōs impetum faciunt eōsque longīs hastīs oppugnant. Rōmānus et Hispānus autem, quōrum alter gladium, alter arcum et sagittās manibus capit, ab illīs barbarīs nōn fugiunt, sed, hostium impetum sustinentēs, armīs sē dēfendere incipiunt. Hispānum, cuius sagittae scūta tantum hostium tangunt, nōn hostēs ipsōs, alter Germānōrum in rīvum, quī per campum fluit, hastā suā iacit; Hispānus, cuius sanguis, in rīvum fluēns, rubram facit aquam, illīc manet mortuus. Rōmānus, quī videt amīcum mortuum in fluviō iacēre, neque sōlus contrā duōs Germānōs armātōs pugnāre potest, circum sē spectat, quia locum ad pugnam convenientem reperīre vult; aspiciēns post sē, nōn procul ab eō locō, ubi ā barbarō sē dēfendit, parvum mūrum esse videt, ad quem currit; sē post mūrum ponēns, utrumque Germānum exspectat venientem. Tum prīmus currēns ad eum adit, sed, cum hastam iacit, Rōmānus sē movet et hasta, arborem pulsāns, ad terram cadit; mīles autem in mūrum ascendit et, ex mūrō impetum faciēns, barbarī collum gladiō verberat, quī, magnā vōce clāmāns, mortuus cadit. Deinde alter Germānus, cum amīcum in terrā iacentem videt, timēns mīlitem fortem, perterritus in magnam silvam, quae prope est, fugere vult; sed Rōmānus, post eum currēns et sinistrā manū capiēns, gladiō corpus eius pulsat, pulmōnēs et ventrem aperiēns et Germānum, cuius sanguis in herbam campī fluit, mortuum in terrā relinquit. Fortēs enim sunt barbarī, sed Rōmānī fortiōrēs sunt.

Rōmānus ad castra it, ubi aliī mīlitēs eum exspectant, quī, cum vident eum sine Hispānō amīcō revenientem illumque in pugnā cum Germānīs mortuum esse audiunt, dē pugnā ipsā interrogant; Germānus autem uterque, alter apud alterum in terrā iacet: suprā eōs avēs ferae volant, mortuōrum corpora ēsse volentēs.

Capitulum XV

Servī et ancillae

Cotīdiē ante lūcem Aemilia surgit et per vīllam ambulat dum adhūc dormiunt Iūlius et līberī. Vult enim aspicere ancillās et servōs, quī iam prīmō māne surgunt: nam aliī cibum dominīs et cēterīs faciunt, aliī pūrum faciunt ātrium, aliī ōrnant mēnsās rosīs līliīsque, quae ex hortō carpunt. Sed nisi domina eōs aspicit, servī, quī pigrī sunt, nōn industriī, nihil agunt, et aut inter sē verba faciunt, aut in sellīs et in cubiculīs suīs dormiunt. Ergō necesse est Aemiliam māne surgere et per vīllam ambulāre. Iūlia, quae audit matrem in hortō ambulantem et aliquid ancillae dīcentem, excitātur et ē lectō surgēns, ad mātrem currit. “Mamma” inquit “possumne tēcum venīre? Ego quoque servōs et ancillās aspicere volō!” Aemilia dīcit puellam sēcum venīre posse, sed eam iubet calceōs induere: nōn convenit enim puellae Rōmānae pedibus nūdīs in vīllā aut per hortum ambulāre. Servī pedibus nūdīs ambulant, nōn dominī, neque līberī. Iūlia igitur calceōs suōs induit et cum mātre it. Multī servī iam ad campōs currunt: nam pāstōrēs sunt, quī ovēs illūc cum canibus suīs dūcunt et exspectant dum herbam edunt; ante vesperum vērō eās rūrsus ad vīllam dūcunt. Aliī servī ex rīvō, quī in campō prope locum ubi Iūlius cum familiā habitat fluit, in vīllam aquam portant.

Iam Iūlius quoque surgit, quī faciem et manūs lavat, tunicam et calceōs induit atque statim per vīllam ambulāre incipit: in hortum intrat et Syrum, servum pigerrimum, sub arbore dormientem videt. Iūlius īrātus eum magnā vōce vocat: “Syre! Quid agis? Dormīsne iam hāc hōrā?” Syrus, quī dominī īrātī vōcem sevēram audit, statim surgit: terram sub rosīs movēre incipit et in eā aquam pōnit: “Nōn dormiō, domine” inquit “ecce, rosīs aquam dō!” Iūlius rīdet, quia videt servum perterritum esse.

Dum haec aguntur, Aemilia ancillās suās domum pūram facere et ōrnāre docet: “Dēlia, nōnne vidēs mēnsam sordidam esse? Quid agis? Cūr in sellā sedēs? Venī hūc et hanc mēnsam pūram fac! Tū, Syra, ī in cubiculum Mārcī, sūme vestem sordidam, quae in lectō est, eamque aquā calidā lavā!” Iūlia, quae apud mātrem est, nihil dīcere

audet, sed post Syram in cubiculum Mārcī intrat. “Syra, cūr necesse est tē sordidam Mārcī vestem lavāre? Nōnne alia ancilla hoc facere potest?” Syra respondet “Nōn est difficile hoc facere, mea parva Iūlia, et ego, quae nōn iam puella sum, laetior sum cum hoc faciō quam cum fenestrās lavō aut aquam aliāsque rēs gravēs ferō. Vestis enim levis est!” Iūlia gaudet, quod Syram, ancillam suam, amat, neque vult eam nimis fessam esse.

Puer aeger

Quī aurēs bonās habet bene audit, quī aurēs malās habet male audit. Quī pedēs bonōs habet bene ambulat, quī pedēs malōs habet male ambulat. Quī ventrem aegrum habet nihil ēsse potest. Syra, ancilla Aemiliae, aurēs malās habet et male audit. Quīntus, fīlius Aemiliae, pedem aegrum habet neque ambulāre potest. Ergō lectō tenētur. Puer aeger nihil ēsse vult, sed tantum aquam bibere. Aemilia igitur fīlium suum ventrem aegrum habēre putat, eumque interrogat: “Doletne tibi venter?”

Quīntus respondet: “Nōn venter, sed pēs mihi dolet. Ambulāre nōn possum. Necesse est mē in lectō iacēre.”

AEMILIA: “Sed sine cibō sānārī nōn potes. Necesse est cibum sūmere.” Aemilia Syram ancillam cibum afferre iubet: “Syra, affer Quīntō cibum! Puerō aegrō pānem et mālum dā!”

Syra, quae malās aurēs habet, verba Aemiliae nōn bene audit. Putat enim Aemiliam iubēre puerō malum dare, id est eum verberāre!

SYRA: “Quid? Tūne mē puerō aegrō malum dare iubēs? Mē puerum aegrum verberāre?”

Aemilia (māgnā vōce): “Ō Syra! Quam stulta es et male audīs! Iubeō tē fīliō meō aegrō mālum, nōn malum dare. Arcesse eī pānem et mālum!”

Syra statim dominae suae pāret: pānem et mālum affert, sed puer aeger nihil ēsse potest.

Ā māne ad vesperum

Mārcus et Quīntus in lectīs cubant. Uterque puer vult dormīre, neuter surgere vult. Iam est māne, hōra prīma. Puerī gallum canentem novum diem salūtantem audiunt neque surgunt. Alter oculōs nōn aperit neque sē movet, alter oculīs apertīs iacet et super lectum sē vertit. Servus quī puerōs excitāre solet cubiculum intrat clāmāns: "Mārce! Quīnte! Māne est. Surgite ē lectīs!" Mārcus et Quīntus surgunt, et servus iīs aquam affert. Puerī manūs et faciēs aquā frīgidā lavant. Deinde ā servō vestīmenta poscunt, et ipsī sē vestiunt. Calceōs quoque induunt.

Hōrā prīmā parentēs iam apud mēnsam sedent līberōs suōs exspectantēs. Intrant līberī. "Salvēte, pater et māter!" inquiunt. Omnēs pānem et māla edunt.

Mārcus et Quīntus, quī discipulī sunt, librōs, tabulās, stilōs, rēgulās sēcum ferentēs lūdum petunt.

Merīdiē vel hōrā sextā, quā sōl altissimus in caelō est, rūrsus ē lūdō reveniunt. Post merīdiem Mārcus et Quīntus lūdunt. Deinde tōtum corpus lavant aquā calidā et frīgidā.

Fīnis diēī est hōra duodecima. Post eam hōram nox incipit. Nocte sōl nōn lūcet, sed lūna et stēllae lūcent. Lūnam spectāre puerōs dēlectat: aut lūnam novam spectant, cum exigua tantum pars lūnae vidētur, aut lūnam dīmidiam, quae fōrmam habet litterae D, aut lūnam plēnam, cuius fōrma est ut littera O. Sī nocte lūnam aspiciunt, puerī nōn satis dormiunt neque māne surgere volunt. Tum parentēs eōrum sunt īrātī.

Vestīmenta et arma

Māne Mārcus vestīmenta sua ā servō poscit: "Dāve, dā mihi tunicam et togam meam! Vestī mē!" Dāvus Mārcum vestīre nōn vult, sed Mārcō iubentī vestīmenta dat. Necesse est Mārcum ipsum vestīmenta sua induere.

Dum puer tunicam et togam induit, Dāvum interrogat: "Cūr tū togam nōn geris? Cūr tibi est tantum tunica?"

"Servīs nōn licet togam gerere, neque Graecīs et barbarīs licet. Dominī Rōmānī tantum et fīliī eōrum togam gerunt" respondet servus.

"Barbarī nec togam nec tunicam gerunt: māgnam corporis partem nūdam habent. Mihi togātō tantum bracchium dextrum nūdum est. Togātus neque currere neque pilā lūdere neque pugnāre possum."

DĀVUS: "Est ut dīcis: nēmō togātus pugnāre potest. Mīles, quī manū dextrā gladium gerit et manū sinistrā scūtum, togam gerere nōn potest. Sed tū nōn es mīles, neque tibi licet pugnāre."

MĀRCUS: "Quid? Nōnne mihi licet mē dēfendere ab aliīs puerīs quī mē pulsant et mēcum pugnāre volunt?"

Discipulī aegrī

Sextus, Titus, Mārcus Quīntusque in lūdō sunt. Quīntus enim iam sē sānum esse sentit, nec iam pēs eī dolet. In sellīs sedent puerī Diodōrum magistrum exspectantēs. Laetī nōn sunt, magister enim īrātus est.

Tum Mārcus: "Sī magister iubet nōs surgere et recitāre" inquit, "dīcere possumus 'nōs aegrōtāre neque recitāre posse.' Tū, Quīnte, dīc 'nōn modo pedem, sed etiam oculōs tibi dolēre'! Vōs, Tite et Sexte, dīcite 'vōs vōcem nōn habēre'!" Quīntus et Titus Mārcō pārent, sed Sextus, quī discipulus probus est, nihil dīcit – is enim Mārcō pārēre nōn vult.

Intrat magister, discipulōs salūtat, cōnsīdit atque imperat: "Surge, Quīnte, et incipe ē librō tuō recitāre!"

Quīntus nōn surgit, sed pedem suum ostendit dīcēns: "Stāre nōn possum, quia adhūc pēs mihi dolet, nec recitāre possum, quia litterās vidēre nōn possum: oculī meī sunt aegrī."

MAGISTER: "Sī hoc vērum est, aegrōtās. Sed frāter tuus bene valet. Surge et recitā, Mārce!"

Sed Mārcus frontem suam tangēns "Sānus nōn sum" inquit, "caput mihi dolet. Necesse est mē sedēre et tacēre."

Tum magister Titō imperat: "Ergō tū, Tite, surge et recitā!" Titus surgit, nec recitat. "Recitāre nōn possum" inquit, "quia mihi nūlla est vōx."

Magister īrātus "Sī tibi nūlla est vōx" inquit, "quōmodo dīcere potes 'tibi nūllam esse vōcem'?"

Tum Sextus "Quod illī dīcunt" inquit, "vērum nōn est, magister. Omnēs bene valent. Sed tē timent nec recitāre volunt, itaque dīcunt 'sē aegrōs esse.' "

Magister Mārcō et Titō et Quīntō īrātus est, iī autem īrātī sunt Sextō. Sextus initium librī recitat, magister gaudet 'eum'que 'bonum discipulum esse' dīcit. Tum cēterīs discipulīs imperat: "Iam vōs surgite ac tōtum librum recitāte! Tū incipe, Mārce! Aperī librum tuum!"

Puer aeger et medicus

Hodiē Mārcus dīcit 'sē ē lectō surgere nōn posse nec lūdum petere.'

"Cūr surgere nōn potes?" interrogat Dāvus.

"Surgere nōn possum" respondet Mārcus, "quia aegrōtō. Caput mihi dolet." Hoc dīcēns puer oculōs claudit et tergum ad Dāvum vertit.

Dāvus Iūlium, patrem Mārcī, vocat: "Venī, domine, et vidē tuum Mārcum fīlium, quī dīcit 'sē aegrōtāre'!"

Iūlius intrat et spectat fīlium in lectō iacentem. Mārcus sē vertit et faciem dolentem ostendit; manum ad frontem appōnit et "Aegrōtō, pater" inquit, "Ei, ei, quam dolet caput! Surgere nōn possum."

"Sī aegrōtās" inquit Iūlius, "necesse est medicum vocāre." Iūlius servum suum statim Tūsculum īre iubet atque medicum arcessere. Post hōram servus cum medicō ad vīllam Iūliī revenit. Medicus Mārcum linguam ostendere iubet, et linguam eius rubram esse videt. Tum oculōs et aurēs eius spectat et frontem eius tangit: nec nimis calida nec nimis frīgida est frōns. Deinde medicus manum super pectus puerī impōnit et eum bene spīrāre atque cor eius bene palpitāre sentit; puer pulmōnēs bonōs et cor bonum habet.

"Quid tibi dolet?" interrogat medicus.

"Caput et venter dolent" respondet Mārcus.

"Ergō nimis multum sanguinis habēs in corpore. Necesse est vēnam aperīre" inquit medicus, "Ubi est culter meus?"

Sed antequam medicus cultrum sūmit, Mārcus "Iam nōn tam male mē habeō" inquit. "Satis bene mē valēre sentiō. Caput iam nōn dolet neque mē ventrem malum habēre putō."

Rīdet medicus. At pater īrātus iubet fīlium suum statim ē lectō surgere atque lūdum petere.

Mīles in Germāniā

Aemilius, Mārcī et Quīntī avunculus, quī in Germāniā mīlitat, hodiē est in vīllā prope Tūsculum, ubi puerī cum parentibus suīs habitant. Aemilia, māter Mārcī et Quīntī, frātrem suum adesse gaudet. Puerī Aemilium interrogant: "Avuncule, cūr tū in Germāniā habitās?"

"Māgnus est exercitus Rōmānus in Germāniā" inquit Aemilius, "quī contrā hostēs pugnat; in eō exercitū sum mīles."

MĀRCUS: "Quō in oppidō habitās, cum in Germāniā mīlitās?"

Rīdēns respondet Aemilius: "Nōn in oppidō, sed in castrīs habitō. Castra sunt oppidum mīlitum. Habitō in māgnīs castrīs mīlle passūs ā fīnibus imperiī."

QUĪNTUS: "Quot mīlitēs illīc habitātis?"

AEMILIUS: "In illīs castrīs sex mīlia peditum equitumque habitāmus."

MĀRCUS: "Num fēminae et puerī cum mīlitibus habitant?"

AEMILIUS: "Nūllae fēminae aut puerī in castrīs habitant cum mīlitibus, quia nec fēminae nec puerī mīlitāre possunt. Neque iīs licet castra intrāre. Circum castra fossa lāta est et vāllum duo mīlia passuum longum et prope decem pedēs altum. Quattuor portae per vāllum in castra dūcunt, sed cum hostēs castra oppugnant, portās claudimus et vāllum ascendimus. Pīla in hostēs iacimus et, sī necesse est, gladiīs castra dēfendimus aut ipsī impetum facimus in hostēs. – Sed hoc satis est. Iam tempus est mē Rōmam īre."

Aemilius tacet. Trīstis est, quod eī necesse est post paucōs diēs in Germāniam redīre. Hodiē autem Rōmam īre vult, quia amīcam Rōmānam habet. Puerī trīstēs sunt, quia avunculus cum iīs lūdere nōn vult, sed cum amīcā suā in viīs Rōmānīs ambulāre.

Frātrēs pugnantēs

Mārcus et Quīntus frātrēs in hortō vīllae lūdunt. Mārcus virgam manū tenet clāmāns: "Hoc est pīlum meum. Mīles Rōmānus sum, ut avunculus noster. Contrā Germānōs, hostēs Rōmānōrum, pugnō. Tū hostis meus es, Quīnte. Impetum in hostem faciō!"

Hoc dīcēns Mārcus virgam in Quīntum iacit, sed virga ante eum ad terram cadit.

Quīntus autem "Pīlum tuum leve" inquit "nōn timeō. Neque mīles Rōmānus pīlum tantum, sed etiam scūtum grave et gladium brevem fert. Hīs armīs peditēs Rōmānī pugnant."

"Sī arma nōn habeō, pugnīs possum pugnāre" clāmat Mārcus, et cum frātre pugnāre incipit: Quīntum pugnō pulsat, sed ille nōn male sē dēfendit. Pugnōs tenet ante caput neque Mārcus faciem eius pulsāre potest. Tum puer improbus ventrem Quīntī pulsat. Quīntus stāre nōn potest, sed cadēns pedēs Mārcī capit eumque ad terram iacit. Neque puerī in terrā iacentēs pugnāre dēsinunt. Uterque clāmat, dum alter alterum pulsat.

Aemilia clāmōrem audit et accurrit. Māter fīliōs pugnantēs videt et vōce sevērā "Dēsinite, puerī!" inquit, "Hoc satis est. Vōs mīlitēs nōn estis."

Fīliī mātrī nōn pārent neque pugnāre dēsinunt. Tum māter īrāta virgam, quae in terrā iacet, sūmit atque fīliōs verberat.

Amīca pulchrior

Mēdus et Lēander servī sunt in familiā Iūliī. Mēdus amīcam habet, cui nōmen est Lȳdia. Mēdus Lēandrō "Mea Lȳdia" inquit "pulchra est fēmina. Cum eam aspiciō, palpitat cor meum. Corpus habet fōrmōsum, bracchia et crūra bene movet. Capillōs et oculōs nigrōs habet. Labra rubra sunt ut rosae, dentēs albī ut nix. Collum amīcae meae margarītīs ōrnātur, neque alia ōrnāmenta habet Lȳdia, quia pecūniōsa nōn est. In digitīs eius nūllī sunt ānulī."

LĒANDER: "Tū igitur ānulum dā amīcae tuae!"

MĒDUS: "Sine pecūniā ānulum emere nōn possum, neque pecūniam habeō. Bonus sum servus, sed dominus mihi nūllam pecūniam dat. Ergō necesse est…"

LĒANDER: "Quid necesse est? Quōmodo tū pecūniam habēre potes?"

MĒDUS: "Id tibi nōn dīcō. Sed etiam sine ōrnāmentīs amīca mea pulchrior est quam aliae fēminae quae ānulīs et gemmīs ōrnantur. Nūlla est fēmina tam pulchra quam Lȳdia mea!"

At Lēander "Nōn vērum est" inquit "quod dīcis: mea amīca etiam pulchrior est quam tua!"

Quī vir nōn putat suam amīcam pulchriōrem esse quam cēterās fēminās?

Canis ululāns

Nox est. Vīlla Iūliī obscūra et quiēta est. Omnēs dormiunt. Parentēs in māgnō cubiculō suō dormiunt. Uterque puer, Mārcus et Quīntus, in cubiculō suō parvō dormit. Etiam soror eōrum Iūlia in parvō cubiculō cubat, sed hāc nocte male dormit, quia caput eī dolet; puella vigilāns gallum canentem exspectat. Fenestra cubiculī clausa nōn est, āēr frīgidus cubiculum intrat. Puella per fenestram apertam nihil videt praeter caelum obscūrum, nam lūna et stēllae nūbibus operiuntur. Iūlia noctem obscūram timet, ea enim sōlem et caelum clārum amat, hortō et rosīs dēlectātur.

Tum per noctem obscūram et quiētam canis ululat: "Uhuhū!" Iūlia canem ululāre audit et perterrita est: capilli horrent, cor palpitat, puella in lectō sē movēre nōn audet, et clāmat: "Mamma! Venī!"

Aemilia clāmōre fīliae excitātur et statim accurrit. "Quid est, mea Iūlia?" interrogat, "Nōn dormīs? Adhūc nox est."

IŪLIA: "Lupum timeō. Audī, mamma: lupus ululat. In hortō nostro est lupus ferus!"

Aemilia canem rūrsus ululāre audit et "Nōn est lupus, Iūlia" inquit, "est canis tua Margarīta quae ululat. Num tū canem tuam timēs?"

Etiam Mārcus et Quīntus clāmōrem vōcēsque audiunt et cubiculum Iūliae intrant. "Num iam tempus est surgere?" interrogant.

"Nōndum māne est" inquit māter, "Iūlia perterrita est quia putat canem ululantem esse lupum! Sed nunc vōs omnēs dormīte!"

Mārcus rīdet et: "Ō, quam stulta es, Iūlia!" inquit.

"St! Tacē, Mārce!" inquit māter, "adhūc tempus est dormīre. Audīmus ululantem canem, nōn gallum canentem."

Capitulum XVI

Via Ōstiēnsis

Mēdus cum amīcā suā in patriam suam Graeciam īre vult.

MĒDUS: "In portū Ōstiēnsī bona nāvis nōs opperītur. Necesse est nōs ambulāre Ōstiam, neque enim equum aut asinum habēmus."

LŶDIA: "Ōstiam ambulāre nōn possumus. Nimis longa est via."

MĒDUS: "Via Ōstiēnsis paulō longior est quam via Latīna Tūsculō Rōmam. Sī fessa es, ego tē portāre possum!" Hoc dīcēns Mēdus amīcam suam complectitur eīque ōsculum dat.

LŶDIA: "Tū mē portāre nōn potes. At sī necesse est, tēcum Ōstiam ambulō. Fessa nōn sum ac paucās rēs mēcum ferō."

Ergō Mēdus et Lŷdia Rōmā ēgrediuntur et Ōstiam ambulāre incipiunt. Mēdus saccum portat cum rēbus Lŷdiae et suīs. Post trēs hōrās Lŷdia cōnsistit ac fessa apud viam cōnsīdit. Mēdus quoque cōnsistit et trīstis viam longam ante sē intuētur. Tum viam post sē spectat. Illīc venit vir crassus cum asinō quī duōs saccōs gravēs vehit.

Mēdus illum virum salūtat: "Salvē, bone vir!" et "Ecce amīca mea fessa" inquit, "iam nōn potest ambulāre. Potestne eam portāre asinus tuus?"

"Asinus meus iam duōs saccōs gravēs portat" inquit vir crassus; "mē portāre nōn potest aut nōn vult, quia ego nimis crassus sum. Sed amīca tua tenuis et levis est. Asinum meum ascende, fōrmōsa! Dā mihi manum!"

Lŷdia surgit. Mēdus ipse amīcam suam asinum ascendentem manū sustinet.

Super asinum sedēns Lŷdia "Ambulā, asine!" inquit, sed asinus in viā stat neque ē locō sē movet. Tum Mēdus herbam carpit et ante asinum tenet. Asinus herbam ēsse vult atque ambulāre incipit. Lŷdia laeta asinō vehitur.

MĒDUS: "Bonus es vir quod asinō tuō amīcam meam vehis. Nōs Rōmā venīmus et Ōstiam īmus. Tūne quoque Ōstiam īs? Quod nōmen tibi est?"

"Mihi nōmen est Mopsus" inquit ille, "Ōstiam eō, nam illīc habitō. Cūr vōs Ōstiam ītis?"

MĒDUS: "Ex portū Ōstiēnsī in patriam nostram Graeciam nāve vehī possumus. Illīc bona nāvis nōs opperītur."

Mēdus ē saccō suō mālum sūmit et "Ecce" inquit "mālum tibi dō, amīce!"

MOPSUS: "At saccī quōs asinus meus portat plēnī sunt mālōrum. Tabernārius sum, māla et pira vēndō. Mālum ā tē nōn accipiō."

MĒDUS: "Sed nihil aliud habeō quod tibi dare possum."

MOPSUS: "Id necesse nōn est. Mē dēlectat amīcam tuam fōrmōsam mēcum vehere."

Dum Mēdus cum Mopsō loquitur, Ōstiam adveniunt. Asinus ante tabernam Mopsī cōnsistit. Dominus asinō suō fessō māla dat.

MĒDUS: "Valē, Mopse, bone amīce!"

MOPSUS: "Etiam vōs valēte, amīcī meī! Bene nāvigāte!"

Item Lȳdia "Valē, amīce!" inquit, "Nihil habeō quod tibi dare possum – praeter ōsculum" et Mopsō ōsculum dat. Ille ōsculō tam pulchrae fēminae laetātur.

Mēdus id spectāns nōn laetātur. "Venī mēcum, Lȳdia!" inquit, et statim ad portum īre incipit.

Lȳdia Mopsum trīstem relinquit et amīcum suum sequitur.

Fīnis tempestātis

Dum Lȳdia et Mēdus nāve patriam suam Graeciam petunt, magna tempestās oritur. Caelum ātrīs operītur nūbibus, multīs fulguribus illūstrātur mare, sequitur tonitrus cum imbre, ac magnus ventus flāre incipit. Cēterīs omnibus Neptūnum invocantibus, Lȳdia sōla Chrīstum invocat, neque enim Lȳdia deōs Rōmānōs verētur, sed Dominum Iēsum Chrīstum, Deī fīlium, quī ventīs et marī imperāre potest.

Nāvis flūctibus iactātur et aquā implērī incipit. Gubernātor, quī marī turbidō nāvem vix gubernāre potest, nautās iubet aquam haurīre et mercēs gravēs, quae eādem nāve vehuntur, in mare iacere. Mercēs in mare lābuntur et nāvis levior fit. Iam ventus cadere incipit, flūctūs nōn tantī sunt quantī erant: fīnis est tempestātis.

Laetantur omnēs, quī paulō ante perterritī erant. Nautae deum Neptūnum dominum maris esse putant, Lŷdia vērō putat dominum suum Chrīstum ventīs et marī imperāre posse. Tantum mercātor trīstis sedet aspiciēns flūctūs quī mercēs eius operiunt.

Mercātor trīstī vōce loquitur: "Sub illīs flūctibus iacent omnēs mercēs meae! Nihil habeō praeter haec vestīmenta ūmida!"

Lŷdia eum cōnsōlārī cōnātur: "Quid trīstis es, mercātor? Gaudē quod nāvis noster adhūc natat et quod nōs omnēs vīvimus neque sub flūctibus iacēmus cum mercibus tuīs! Etiam sī pecūniōsus nōn es, vīvis et valēs."

Ad hoc mercātor "Ego" inquit "magnam familiam habeō. Quōmodo vīvere possumus sine pecūniā?"

Capitulum XVII

Medicus doctus

Dominus, cum Tūsculum it, equō vehitur aut lectīcā portātur ā servīs suīs. Servī vērō asinīs vehī solent; sed servus quī medicum arcessere iubētur, nōn asinō pigrō, sed equō currente vehitur. Medicus quoque equō vehitur. Itaque brevī tempore ad aegrum venīre potest.

Lēander Syrum equum ascendere vidēns interrogat: “Cūr tū hodiē equō veheris, Syre? Nōs servī asinīs vehimur, nōn equīs!”

SYRUS: “Equō vehor quia medicum arcessere iubeor. Equō currente brevī tempore Tūsculum ad medicum vehor. Medicus quoque equō vehitur.”

Syrus igitur equō vehitur Tūsculum ac post hōram cum medicō redit. Medicus ōstiāriō “Aperī ōstium!” inquit, “Medicus sum, ā dominō tuō exspector.”

“Rēctē dīcis, medice” inquit ōstiārius ōstium aperiēns, “tū ā dominō exspectāris, quia fīlius eius aegrōtat. Ātrium intrā!”

Medicus ātrium intrat atque illīc ā Dāvō servō salūtātur: “Salvē, medice!”

MEDICUS: “Ubi est dominus tuus? Cūr ā servō, nōn ā dominō, salūtor?”

Iūlius intrāns “Salvē, medice!” inquit, “Laetor tē iam adesse, nam tū ut ‘medicus doctus’ ab aegrīs laudāris. Venī mēcum ad fīlium meum aegrum!”

MEDICUS: “Rēctē dīcis: laudor ā multīs aegrīs quōs sānō vel sānāre cōnor.”

IŪLIUS: “Vōs medicī laudāminī ab aegrīs quōs bene sānātis, nōn laudāminī ab iīs quōs male sānāre cōnāminī et quī adhūc aegrī sunt – aut iam mortuī!”

Plūtī fossa

Plūtus est vir pecūniōsus, quī suam pecūniam aliīs largīrī nōn vult. Parvam igitur fossam sub altā arbore parat, in quā magnam pecūniam, multās gemmās multāsque margarītās occultat. Pāstor vērō nōmine Faustīnus, quī in campō cum ovibus suīs am-

bulat, Plūtum hās rēs magnī pretiī in fossā pōnentem aspicit; ergō, postquam Plūtus abit, pāstor ad fossam adit et pecūniam magnīque pretiī ōrnāmenta sūmit; ea in saccō suō pōnit et ad uxōrem fert, quae, cum gemmās et margarītās pulcherrimās videt, laetissima eī ōscula multa dat. Diē sequentī Plūtus ad fossam adit, quia vult suam pecūniam et ōrnāmenta vidēre. Quamquam enim Plūtus nihil eā pecūniā emere vult, eamque sub terrā servāre solet, eum valdē dēlectat cotīdiē cōgitāre sē pecūniōsissimum esse. Cum autem videt in fossā nihil iam inesse, intellegit improbum virum nunc pecūniam et ōrnāmenta sua habēre, neque sē iam suōs nummōs, suās margarītās suāsque gemmās spectāre posse.

Tum magnā vōce clāmāns deōs invocat, et per longum tempus multīs cum lacrimīs plōrat; terram et caelum suis clāmōribus implet. Mercurius igitur, deōrum nūntius mercātōrumque deus, eum audit clāmantem et statim adit. Eum reperit apud fossam lacrimantem, et causam lacrimārum poscit. Plūtus igitur eī haec nārrat: “Sum vir pauper, quī parvam pecūniam meam sub hāc arbore in fossā servāre soleō. Nunc tamen nihil mihi manet, quia improbus vir pecūniam meam habet! Fossa vacua est!” At deus trīstem virī animum cōnsōlārī cōnātur, et fossam lapidibus implet. Tum Plūtō haec dīcit: “Tū pecūniam tuam sub terrā servāre solēs, neque ūllās rēs eā pecūniā emis; idem igitur tibi est pecūniam atque lapidēs habēre: ergō servā lapidēs sub terrā: dēsine lacrimāre et eōdem modō gaudē!”

Capitulum XVIII

Numerī et litterae

Quibus litterīs significantur numerī? Litterae septem quibus numerī significantur sunt C, D, I, L, M, V, X. Litterā i significātur numerus 'ūnus', V 'quīnque', X 'decem', L 'quīnquāgintā', C 'centum', D 'quīngentī', M 'mīlle'. Ecce magnus numerus in quō omnēs numerōrum litterae iunguntur: MDCLXVI = mīlle sescentī sexāgintā sex [= 1666].

Sī bis scrībuntur litterae I, X, C, M, significantur numerī 'duo' II, 'vigintī' XX, 'ducentī' CC, 'duo mīlia' MM. Sī eaedem litterae ter scrībuntur, numerī significantur 'trēs' III, 'trīgintā' XXX, 'trecentī' CCC, 'tria mīlia' MMM.

Sī ante V et X pōnitur I, fīunt numerī 'quattuor' IV et 'novem' IX; sī X ante L et C pōnitur fīunt numerī 'quadrāgintā' XL et 'nōnāgintā' XC. Numerī 'sex', 'septem', 'octō' significantur cum ad V adduntur I, II, III: VI, VII, VIII. Hī omnēs numerōrum litterae adduntur ad litterās X, L, C, D, M.

Diodōrus magister discipulōs suōs et litterās et numerōs docet. "Ecce" inquit "trēs litterae: X, C, M. Quaeque littera numerum significat. Quōs numerōs?"

TITUS: "Littera X numerum 'decem' significat, C 'centum', M 'mīlle'."

MAGISTER: "Dīvidite quemque numerum in dīmidiās partēs! Quid est dīmidium 'decem', dīmidium 'centum', dīmidium 'mīlle'?"

SEXTUS: "Dīmidium decem est quīnque, dīmidium centum quīnquāgintā, dīmidium mīlle quīncentī."

MAGISTER: " 'Quīngentī', nōn 'quīncentī'! Quōmodo hī numerī breviter scrībuntur?"

Sextus " 'Quīnque' scrībitur litterā V, 'quīnquāgintā' L, 'quīngentī' D."

MAGISTER: "Prōme tabulam et stilum, Mārce, et scrībe X bis et ter!"

Mārcus bis X scrībit: XX, tum eandem litteram ter scrībit: XXX.

MAGISTER: "Quōs numerōs scrībis?"

MĀRCUS: "Scrībō numerōs 'duodecim' et 'trēdecim'."

MAGISTER: "Ō Mārce! quam stultē respondēs! 'Duodecim' et 'trēdecim' scrībuntur XII et XIII, nōn XX et XXX! Iīs litterīs significantur numerī 'vīgintī' et 'trīgintā'. Iam scrībe 'quadrāgintā' et 'quīnquāgintā'!"

Mārcus X scrībit quater: XXXX, et quīnquiēs: XXXXX.

MAGISTER: "Prāvē scrībis! Nōn oportet totiēs X scrībere, nam 'quadrāgintā' scrībitur XL et 'quīnquāgintā' breviter scrībitur L."

SEXTUS: "Litterā L nōn modo numerus significātur, sed etiam praenōmen, id est 'Lūcius'. Itemque litterīs M et C significantur praenōmina 'Mārcus' et 'Gāius'. Cūr praenōmen 'Gāius' scrībitur litterā C, nōn G?"

MAGISTER: "Quia antīquīs temporibus ūna littera erat C significāns et C et G."

SEXTUS: "Ergō numerus QVINGENTI tunc erat QVINCENTI!"

MAGISTER: "Rēctē dīcis. At nunc additur parva līnea quae litteram G, nōn C, esse significat."

Capitulum XIX

Duo frātrēs

Pāstōrī pauperī, nōmine Faustolō, duo erant fīliī, Brūtus et Nerō. Hic, puer probus, ā parentibus magis amābātur quam ille, quem omnēs stultum esse putābant. Hī cum cane suō ovēs quaerēbant, quae per montēs et vallēs errābant. Dum tamen procul ā patris casā absunt, sōl occidit, et nox sine lūnā obscūrās facit viās, neque facile erat errantium ovium vestīgia in terrā reperīre; simul ātrae nūbēs in caelō cernēbantur, ex quibus nix alba cadere in terram incipiēbat; paulō post altā nive tōta terra, collēs, montēs, campī operiuntur, neque iam puerī ad casam revenīre possunt, quia viam nūllō modō reperiunt. Per multās hōrās errant per silvās in montibus; cum tamen nimis fessī sunt, magnam arborem petunt et illīc iacent in terrā prope mortuī. Āēr frīgidissimus est.

Tum Brūtus ē collō frātris līneam cum ānulō sūmit, quam in collō canis pōnit. “Age!” dīcit canī, “Casam pete et patrem quaere!” Dum vērō puerī illīc sunt, pāstor eiusque uxor, quī in casā eōs exspectābant, timēbant, quia nox erat, neque eōs revenīre vidēbant. Sed ecce! Audit pāstor canem apud ōstium lātrantem; cum ōstium aperit, videt canem quī in collō līneam fīliī suī gerēbat. Ex casā exit et cum bonō cane suō, quī eum per campum et viās montis dūcit, ad ipsam advenit arborem, sub quā uterque puer in nive iacēbat. Nerō, quī tunicā frātris calidā operiēbātur, quiētus dormiēbat, et frāter eum complectēbātur; Brūtī vērō corpus, quod nūdum erat, quia vestīmentīs eius operiēbātur Nerō, nive et glaciē frīgēbat: nam optimus puer, quem omnēs stultum esse putābant rīdēbantque, fortiter mortuus erat, quia frātrem minōrem servāre et dēfendere volēbat et sciēbat opus esse eius frīgēns corpus operīre. Pater, eōs vidēns, lacrimās tenēre nōn poterat.

Amor adulēscentium

Iūlius in peristȳlō suō magnificō, quod columnīs et signīs deōrum ōrnātur, cum amīcō suō Cornēliō loquitur.

"Certē tū vir beātus es, Iūlī", inquit Cornēlius, "nam vīllam magnificam possidēs cum magnā familiā atque uxōre pulcherrimā."

IŪLIUS: "Mea uxor nōn pulchrior est quam tua. Tū quoque es vir beātus, Cornēlī, quamquam tibi nōn tanta vīlla atque minor familia est. Neque enim eae sunt rēs quae hominēs beātōs faciunt."

Ad hoc Cornēlius "Ita est ut dīcis", inquit, "sed vir pauper ā fēminīs dīvitibus nōn amātur neque virgō pauper amātur ā virīs dīvitibus!"

IŪLIUS: "Immō ego adulēscēns dīves virginem pauperem amābam – nec vērō ab eā amābar! Numquam ab eā salūtābar, epistulae ac flōrēs, quōs ad eam mittēbam, ad mē remittēbantur. Itaque trīstis eram ac miser. Parentēs meī multīs modīs mē dēlectāre cōnābantur, optimum cibum mihi dabant, sed ego paulum edēbam et nocte male dormiēbam."

CORNĒLIUS: "Cūr illa virgō pauper tē adulēscentem dīvitem nōn amābat?"

IŪLIUS: "Quia alium virum dīvitem amābat – nec vērō ab illō virō pessimō amābātur, quod virgō pauper erat!"

CORNĒLIUS: "Quae erat illa virgō pauper?"

IŪLIUS: "Erat Aemilia, quae nunc uxor mea est ac mē nec ūllum alium virum amat. Hodiē beātī coniugēs sumus."

CORNĒLIUS: "Ego quoque adulēscēns virginem pauperem amābam, neque putābam mē ab eā amārī quia ipse pauper eram. Sed illa mē nec ūllum alium virum amābat – ac nunc uxor mea est. Nōs beātissimī sumus coniugēs, quamquam dīvitēs nōn sumus. Uxor mea mulier est optima ac pulcherrima."

IŪLIUS: "Uxor tua nōn melior neque pulchrior est quam mea Aemilia!"

Capitulum XX

Iūlius adulēscēns

Ante decem annōs Iūlius adhūc adulēscēns erat. Pater eius dīves domum Rōmānam pulcherrimam possidēbat et praetereā multās vīllās māgnificās. Iūlius probus adulēscēns erat quī ā parentibus suīs dīligēbātur atque ipse eōs diligēbat et semper iīs pārēbat. Parentēs tam probō fīliō gaudēbant atque multīs modīs eum dēlectāre cōnābantur, sed tamen Iūlius trīstis et miser erat et nocte male dormiēbat.

"Quid tū tam trīstis es?" inquit māter Iūliī, "Cūr hīc tacitus sedēs, neque cum amīcīs colloqueris? Tūne nocte male dormīs? Quā dē rē cōgitās? Dīc mātrī tuae!"

"Profectō trīstis sum, māter" respondet adulēscēns, "Amō enim fōrmōsam et probam virginem Rōmānam, cui nōmen est Aemilia. Prope cotīdiē in viīs aut in forō eī occurrō eamque salūtō, nec vērō ab eā salūtor. Flōrēs pulcherrimōs eī mittō, neque Aemilia dōna mea accipere vult, sed omnia remittit! Multās epistulās, quibus pulchritūdō eius laudātur, ad eam mittō, sed omnēs epistulae ad mē remittuntur!"

"Cuius fīlia est Aemilia?" interrogat māter, et fīlius respondet: "Pater eius est Pūblius Aemilius Paulus, vir probus et doctus, quī tantō nōmine dīgnus est, nec tamen māgnam pecūniam possidet. Aemilia in exiguā domō habitat cum parentibus suīs. Certē nōn est virgō pecūniōsa, sed proba et fōrmōsa est. Itaque eam amō, nōn propter pecūniam!"

"Rēctē loqueris" inquit māter, quae fīlium suum cōnsōlārī vult, "Sī Aemiliam ita amās, perge epistulās laudantēs ad eam scrībere et dīc eī dē amōre tuō. Etiam plūrēs flōrēs mitte eī! Nōlī dēsinere eam bonīs verbīs salūtāre! Certē Aemilia tua uxor erit."

Post haec verba cōnsōlantia Iūlius pergēbat Aemiliae epistulās ac flōrēs mittere. Mox Aemilia, quae – ut omnēs fēminae – verbīs laudantibus ac flōribus pulcherrimīs dēlectābātur, neque epistulās neque flōrēs remittēbat.

Annō post Iūlius et Aemilia iam coniugēs erant sub eōdem tēctō habitantēs.

Dē novō īnfante

Aemilia, quae iam duōs fīliōs et ūnam fīliam habet, novum īnfantem exspectat. Illa alteram fīliam habēre vult, sed marītus eius Iūlius magis gaudēbit sī fīlium habēbit, quamquam dīcit 'sē velle fīliam habēre.' Herī Iūlius nesciēbat Aemiliam novum īnfantem exspectāre, quamquam vidēbat uxōrem suam minus gracilem esse. Nunc autem scit Aemiliam nōn propter cibum crassiōrem fierī!

Iūlia, fīlia Aemiliae, parentēs dē tempore futūrō loquentēs audit et ita scit dē novō īnfante. Nec vērō gaudet Iūlia, quia sōla vult tōtum amōrem parentum sibi habēre!

Mārcus et Quīntus, frātrēs Iūliae, dē īnfante quae exspectātur nesciunt. Tum iīs dīcit Iūlia: "Mox ego nōn erō sōla puella cum duōbus puerīs. Post paucōs mēnsēs mihi soror erit."

Mārcus et Quīntus ad mātrem adeunt eamque interrogant: "Estne vērum quod dīcit Iūlia? Sorōremne habēbimus?"

AEMILIA: "Certē novum īnfantem habēbō, sed fīliumne an fīliam, nēmō scit. Nōnne vōs gaudēbitis sī alteram sorōrem habēbitis?"

MĀRCUS: "Ego parvulīs īnfantibus nōn dēlector. Semper in cūnīs iacent, mēcum lūdere nōn possunt, sed tantum vāgīre. Atque māter parvulōs tantum cūrat, neque dē līberīs maiōribus cōgitat!"

AEMILIA: "Nōlī ita loquī, Mārce! Ante octō annōs tū quoque in cūnīs iacēbās atque māgnā vōce vāgiēbās neque cum aliīs puerīs lūdere poterās. Neque vērum est quod dē mātre īnfantium dīcis. Ego tē et Quīntum et Iūliam nōn relinquam, sed vōs bene cūrābō, etiam sī fīliolam habēbō. Nōlīte timēre!"

Abībit pater

Iūlius, pater familiās, nōn semper in vīllā apud familiam suam manēre potest. Saepe uxōrem et līberōs in vīllā relinquere dēbet et Rōmam petere, sed, sī potest, tertiō quōque diē ad familiam revertitur.

Pater discēdēns semper ā līberīs suīs interrogātur: "Quō ībis, pater? Quandō revertēris?" ac līberī semper patrī suō revertentī occurrunt.

Nōnīs Iūniīs dominus iterum ā familiā suā discēdet. Līberīs interrogantibus "Quō ībis?" respondet: "Necesse est mihi in Graeciam īre. Nec vērō viā Appiā Brundisium

ībō, sed nāve ex portū Ōstiēnsī proficīscar. Sī ventus secundus erit, quārtō vel quīntō diē ōram Graeciae aspiciam. Ūnō post mēnse ad vōs revertar."

Hoc audientēs trīstēs sunt fīliī et fīlia, quod mēnsem tōtum patre suō carēbunt. "Nōnne tempestātēs timēs, tata?" inquit Iūlia. Et Iūlius "Neptūnus deus" inquit "mihi ventōs secundōs et caelum serēnum dabit. Bonam nāvem habeō et bonum gubernātōrem, quī sōlem et stēllās aspiciēns nāvem rēctē ad portum gubernābit. Cum revertar, multa dōna vōbīs afferam ē Graeciā."

Fīliī laetī clāmant: "Pater dōna nōbīs afferet!"

"Etiam tibi, Aemilia, dōnum pulcherrimum emam" inquit Iūlius.

"Sī tē sānum ad mē revertī vidēbō" inquit Aemilia, "id mihi optimum et pulcherrimum dōnum erit."

"Quam proba uxor es!" inquit Iūlius atque Aemiliam ōsculātur.

Servus Britannus

Dāvus est vir Britannus quī in oppidō cum uxōre et līberīs suīs in parvā et paupere domō habitat. Dum in campō est cum ovibus et cane suō, procul audit uxōrem et līberōs clāmantēs: accurrit et videt mīlitēs Rōmānōs in suam familiam impetum facientēs, equīs in hortum intrantēs, hastīs uxōrem pulsantēs fīliōsque verberantēs. Clāmāns sē in eōs iacit, quī tamen eum baculīs et hastīs verberant; ad terram cadit Dāvus: nihil iam videt oculīs: caput, corpus, membra omnia dolent. Dāvum nihil sentientem mīlitēs in equum impōnunt et ad oppidum portant: inde, sine uxōre, sine līberīs, quōs nōn iam vidēbit per tōtam vītam, nāve ad portum Ōstiensem vehitur, ubi eum mercātōrēs ut servum dīvitī dominō Rōmānō vendent.

Post paucōs diēs nāvis ad portum perveniet; Dāvus cum aliīs servīs dēscendet et ad forum dūcētur, ubi tabula eī in collō ponētur, in quā magnīs litterīs Latīnīs scrīptum erit eum Britannum et fortem esse. Deinde prope nūdus ascendet in altum locum in mediō forō situm, et mercātor, apud eum stāns, magnā vōce clāmāre incipiet: "Emite hunc servum fortissimum, quī ex Britanniā hūc ad nōs vectus est! Aspicite eius membra! Aspicite umerōs, bracchia, crūra! Ubi inveniētis virum fortiōrem?" Vir dīves aderit, quī cum mercātōrem tālia clāmantem audiet, eum adībit et rogābit: "Quantī cōnstat hic servus Britannus?" Mercātor respondēbit eum quīnque mīlibus nummōrum

cōnstāre; vir pecū-niōsus pecūniam mercātōrī dabit et Dāvum sēcum dūcet ad vīllam suam. Dāvus prīmum perterritus erit: "Quid fīet dē mē nunc?" cōgitābit; "Quid faciet hic vir, quī meus dominus nunc est?" Sī tamen bonum dominum habēbit, minus male vīvet. Nōn enim omnēs dominī Rōmānī tam sevērī sunt: aliī servōs suōs saepe verberāre solent, neque eīs multum dormīre aut ēsse licet; aliī vērō servōs quoque hominēs esse putant et prope amīcōs eōs habent.

Fīlius industrius

Hēgiō est mercātor quī Ōstiae prope portum cum familiā suā habitat. Vir dīves est, quī mercēs suās, quae ex terrīs aliēnīs advehuntur, māgnō pretiō in Italiā vēndit. Māgnificam domum possidet cum pulcherrimō peristȳlō, quod deōrum deārumque sīgnīs ōrnātur.

Hēgiō duōs fīliōs habet, quōrum nōmina sunt Mariānus et Galbiolus. Galbiolus est puer decem annōrum, quī adhūc lūdum petit. Mariānus iam adulēscēns est sēdecim annōrum. Is apud magistrum suum discipulus prūdēns atque industrius erat, quī nōn sōlum litterās et numerōs bene discēbat, sed etiam ipse per sē multōs librōs legēbat. Optimus discipulus erat, quī saepe ā magistrō suō doctō laudābātur.

Mercātor fīlium suum maiōrem ad sē vocat et sīc eī loquitur: "Ab hōc annō puer iam nōn es, Mariāne. Volō tēcum loquī dē tempore futūrō. Quid nunc vīs facere? Vīsne mercātor esse ut pater tuus? An nauta?"

Mariānus respondet: "Ego nec mercātor nec nauta esse volō, quia nōn sōlum nautae sed etiam mercātōrēs nāvigāre dēbent sīve mare tranquillum sīve turbidum est, et multae nāvēs cum mercibus in flūctūs merguntur. Tempestātēs et mare turbidum timeō. Sed nōlō domī manēre. In Graeciam ībō, quia litterās Graecās atque linguam Graecam discere volō. Doctus erō ut magister meus, nec sōlum librōs Latīnōs, sed etiam librōs Graecōs legam. In Graeciā virōs doctōs audīre poterō ac multās rēs ab optimīs magistrīs discere. Vīsne mē tēcum in Graeciam dūcere? Sī bonam nāvem et bonōs nautās habēbimus, hōc annī tempore sine timōre tēcum nāvigābō."

Verba fīliī patrem nōn dēlectant, nam is putābat fīlium suum velle mercātōrem esse. Neque tamen adulēscentem tam prūdentem ac doctum domī tenēre vult, itaque fīliō "Gaudeō" inquit "quod vīs mēcum in Graeciam īre, quamquam mercātor esse

nōn vīs. Bene intellegō tē, ut adulēscentem prūdentem ac doctum, plūra discere velle in Graeciā apud magistrōs doctissimōs. Ergō, sī ventus secundus erit, post paucōs diēs simul proficīscēmur. Hodiē gubernātōrem adībō quī bonam nāvem in portū habet."

Septimō diē post hoc colloquium, ventō secundō atque caelō serēnō, Hēgiō cum suō Mariānō fīliō proficīscitur. In portū Ōstiēnsī, antequam nāvem cōnscendit, adulēscēns mātrem complectitur et "Valē, māter mea!" inquit, "Nōlī lacrimāre! Gaudē quod ego iam nōn puer, sed adulēscēns sum, nec mē cūrāre dēbēs!" Māter lacrimam dētergēns "Ō Mariāne!" inquit, "Trīstis sum quod tū mē et domum nostram relinquis ac procul ā patriā vīvēs." Mariānus eam ōsculātur et "Multās epistulās" inquit "ad tē scrībam, māter. Quamquam longē aberō, cotīdiē dē tē et dē patriā meā cōgitābō." Tum frātrem complectitur et cum patre nāvem cōnscendit. Vēla ventō implentur et nāvis plēnīs vēlīs ē portū ēgreditur.

Gubernātor doctus

Hēgiō mercātor cum fīliō suō adulēscente, cui nōmen est Mariānus, Graeciam petit. Mercēs suās in Graeciā māgnō pretiō vēndere vult, et illīc novās mercēs minōre pretiō emere, quās deinde in Italiā vēndet pretiō maiōre. Hōc modō mercātor prūdēns māgnam pecūniam facere solet, quā nōn sōlum rēs necessāriās, sed etiam multa et māgna dōna uxōrī et līberīs suīs emere potest. Certē mercātor dīves est Hēgiō.

Mariānus patrem suum dīligit, neque vērō ipse mercātor esse vult. Is enim librōs Latīnōs et Graecōs legere vult et multās rēs novās ā magistrīs Graecīs doctissimīs discere; itaque cum patre suō eādem nāve vehitur in Graeciam, ubi magistrum omnium optimum docentem audīre poterit. Mariānus discipulus magistrō suō dīgnus erit atque post duōs vel trēs annōs ipse vir doctus in patriam revertētur.

Dum nāvis ventō secundō per mare vehitur, adulēscēns in altā puppī sedet et librum dē optimō gubernātōre, cui nōmen erat Palinūrus, legere cōnātur. Sed difficile est in puppī librum legere, quia gubernātor quī illīc sedet māgnā vōce absentem cantat amīcam. Mariānus eum tacēre iubet, neque is respondet, sed foedā vōce cantāre pergit!

Adulēscēns oculōs ā librō suō tollēns mare et caelum aspicit. Suprā mare nūbēs ātrās orīrī videt, et procul tonitrum audit. Statim patrem adit et "Vidēsne illās nūbēs

ātrās quae ab occidente oriuntur?" inquit "Quid eās sīgnificāre putās? Ego tonitrum ac tempestātem venientem timeō, nam tonitrus iam procul audītur. Nōlō hīc tempestātem opperīrī. Iubē gubernātōrem portum petere, pater: illīc fīnem tempestātis opperīrī poterimus." Mercātor vērō "Nōlī timēre" inquit, "gubernātor noster est bonus nauta, quī officium suum scit. Certē tū plūrēs librōs legis quam ille, et multās rēs difficilēs scīs, sed nāvigāre nescīs – hoc librī tuī tē docēre nōn possunt. Manē tranquillus in puppī, et perge librum tuum legere!" "Ego tranquillus sum" inquit fīlius, "nec iam tranquillum erit mare!" Mariānus ad gubernātōrem redit, quī maiōre vōce cantāre incipit, dum tōtum caelum nūbibus ātrīs operītur et iam prīma fulgura mare illūstrant. Gubernātor vērō neque caelum neque mare aspicit, sed male canere pergit! "Tacē, gubernātor!" inquit adulēscēns, "Spectā caelum! Fac officium tuum! Necesse est portum petere, nam brevī māxima tempestās oriētur!" Gubernātor nūllum verbum respondet neque caelum spectat, sed sē ad Mariānum vertit eumque ūmidīs oculīs aspicit. Tum adulēscēns animadvertit eum manū tenēre pōculum – ex quō nōn aquam bibit!

Subitō māgnus ventus flāre incipit ac nāvis flūctibus pulsātur. Gubernātor surgere cōnātur nec pedibus stāre potest et ante Mariānum lābitur. Clāmant omnēs et Neptūnum, deum maris, invocant: "Servā nōs, Neptūne!" Nāvis sine gubernātōre in marī turbidō errāns inter flūctūs iactātur et aquā implērī incipit. Nautae aquam haurīre cōnantur atque mercēs gravēs in mare iaciunt. Tum vērō, omnibus perterritīs, Mariānus tranquillus in locō gubernātōris cōnsīdit: is nāvem contrā ventum vertit et in mediīs flūctibus rēctē gubernat. Ita nāvis servātur neque flūctibus mergitur. Paulō post ventus cadere incipit: minuuntur flūctūs et iam prope tranquillum fit mare.

Laetantur omnēs et Mariānum ut optimum gubernātōrem laudant eumque 'alterum Palinūrum' appellant. Hēgiō laetus fīlium suum complectitur et "Profectō" inquit "tū nōn sōlum librōs legere, sed etiam nāvem gubernāre scīs!" Mariānus autem "Librum legēbam" inquit "dē Palinūrō, optimō gubernātōre. Ut vidēs, librī meī multās rēs mē docēre possunt."

Quīntus gubernātor erit

Mārcus cum Quīntō frātre loquitur.

“Post decem annōs” dīcit Quīntus “māgnam nāvem habēbō, cuius gubernātor erō. Tum in marī Hadriāticō et in marī Tūscō nāvigābō. Etiam in māgnō Marī nostrō nāvem meam gubernābō.”

“Sī nāvis tua māgna erit, Rōmam eā adīre nōn poteris. In flūmine Tiberī, ubi paulum est aquae, māgnae nāvēs nāvigāre nōn possunt. Tantum parvae nāvēs Rōmam adeunt. Nāvis tua Rōmam nōn adībit” dīcit Mārcus.

“Quamquam Rōmam adīre nōn poterō, adībō multa alia oppida maritima māgnōs portūs habentia. Tālēs sunt Ōstia, unde parvā nāve Rōmam petam, Brundisium, Arīminum, Genua, Puteolī. Multī mercātōrēs mercēs suās nāve meā in Italiam vehent et eās vēndent vel aliās terrās petent et novās mercēs ement” pergit Quīntus.

“Sī autem tempestās oriētur, tum nautae omnēs mercēs in mare iacient et mercātōrēs contrā tē īrātī erunt” dīcit Mārcus.

“Īrātī nōn erunt, immō gaudēbunt, quia vītam suam magis amābunt quam pecūniam” respondet Quīntus.

“Quōmodo nāvis tua in mediō marī gubernārī poterit, cum nūlla terra vidēbitur?” interrogat Mārcus, quī nōn gaudet, sī frāter eius laetus est.

“Stultus puer es, Mārce!” inquit Quīntus “num nescīs ‘gubernātōrem caelum spectāre atque sōlem et stēllās ducēs eī esse’? Sī sōlem orientem ā dextrā videt, ad merīdiem nāvigat, sī autem sōlem occidentem ā dextrā videt, ad septentriōnēs nāvigat. Necesse nōn est alia aspicere.”

Zēnō servus doctus

Hodiē Mārcus prāvē et foedē ea, quae magister in lūdō dictābat, in tabulā suā scrībēbat. Nec tranquillus in sellā suā sedēbat magistrum audiēns, sed clāmābat et rēs stultās dīcēbat.

Ecce nunc domum suam petit et epistulam affert. Illa epistula est magistrī Diodōrī, in quā magister īrātus scrībit ‘Mārcum discipulum improbum et pigrum esse’ eumque reprehendit. Cum pater Mārcī hanc epistulam leget nōn laetābitur, sed Mārcum reprehendet et pūniet.

Mārcus patrem timet. Tunc nōn ad patrem, sed ad Zēnōnem it. Zēnō est servus doctus, quī in familiā patris Mārcī vīvit atque Latīnē et Graecē scit. Zēnō legere, recitāre et scrībere potest, vel calamō in chartā, vel stilō in cērā.

Mārcus Zēnōnem interrogat: "Potesne mihi epistulam scrībere, et patrī meō dīcere 'Mārcum industrium et probum discipulum esse'?" "Cūr tibi opus est?" interrogat servus.

"Magister meus improbus est. Hīc habeō eius malam epistulam. Pater meus dē hāc epistulā profectō nōn gaudēbit. Ego patrem meum dīligō neque volō 'eum trīstem esse' " respondet Mārcus. "Sī magister scrībit 'tē esse pigrum et improbum,' piger et improbus es. Sī patrem tuum amās, disce: semper scrībe et recitā. Vīsne statim mē recitante scrībere?"

Mārcus dē verbīs Zēnōnis etiam minus gaudet quam dē epistulā magistrī et abit.

Lȳdia dē Chrīstō

Cum sōl oritur, nāvis, quā Mēdus et Lȳdia vehuntur, adhūc in marī est. Nautae gaudent quod mare nunc tranquillum est, neque māgnus ventus iam flat. Mēdō interrogantī gubernātor respondet 'Graeciam iam prope esse': tum sōlem intuētur et nautās iubet aquam ē nāve haurīre, dum ventum secundum opperiuntur. Duās hōrās nautae multum aquae haurientēs ventum exspectant, dum Lȳdia, quae propter sōlem quī iterum lūcet in caelō serēnō laetātur, pulchrā vōce canit, deinde ventus secundus flāre incipit, et nāvis plēnīs vēlīs Graeciae ōram petit.

Mēdus Lȳdiam canentem audit et, eam adiēns, ab eā ōsculum vult; neque illa ōsculum dare vult. "Amāsne mē an nōn?" interrogat Mēdus. Tunc Lȳdia rīdēns eī ōsculum in genā dat. Mēdus laetus est quod cum amīcā in patriam suam it, sed semper timet dominum suum, quia nōndum putat sē esse līberum; sī procul in marī nāvem cernit, Iūlium sē sequī crēdit, et metuit. Nōn vult enim ā dominō suō accipī ac verberārī et rūrsus eius servus fierī. "Tranquillus estō" inquit Lȳdia, "nam tū nihil facere potes: nōnne scīs tantum Deum nōs servāre posse?" Hīs verbīs Lȳdia Mēdum trīstem cōnsōlārī cōnātur, quī eam complectitur atque "Necesse est" inquit "tē mihi plūra dīcere dē hōc Deō tuō et dē Chrīstō, quem paulō ante invocābās. Nam Deus maior et fortior quam cēterī deī est is quī mare tranquillum fierī iubēre potest: est omnium

deōrum māximus, cui et ventus et maris flūctūs pārent." Lŷdia Rōmae multōs Chrīstiānōs convenīre solēbat et cum iīs saepe colloquēbātur; nunc ipsa quoque Chrīstiāna est. Mēdus autem multōs et variōs deōs in monte Olympō, in caelō et in marī esse crēdit. Lŷdia igitur dē vērō Deō nārrāre incipit, et Mēdum ad Chrīstum convertere cōnātur.

Capitulum XXI

Magister numerōs dictat

Magister Diodōrus, postquam discipulōs numerōs breviter scrībere docuit, sex numerōs iīs dictat: 'quattuor', 'novem', 'quattuordecim', 'ūndēvīgintī', 'quadringenta', 'nōngenta'. Cūr magister 'quadringenta' et 'nōngenta' dīcit, nōn 'quadringentī' et nōngentī'? Numerī quī in -genta dēsinunt sunt neutrum plūrālis.

Quisque discipulus suō modō numerōs scrībit. Sextus sīc scrībit: IV, IX, XI, XIX, CD, CM; Titus sīc: IV, IX, XIV, XIX, XL, XC; Mārcus sīc: IIII, VIIII, XIIII, XVIIII, CCCC, DCCCC.

Diodōrus, postquam numerōs dictāvit et discipulī eōs scrīpsērunt, tabulam cuiusque discipulī in manūs sūmit et spectat id quod scrīptum est. Nēmō discipulus omnēs numerōs rēctē scrīpsit, at magister Sextum et Titum quattuor numerōs rēctē scrīpsisse videt. "Vōs" inquit "quattuor numerōs rēctē scrīpsistis, Sexte et Tite."

SEXTUS: "Scrīpsimus ita ut nōs numerōs scrībere docuistī." Diodōrus: "Nec vērō tē CD et CM scrībere docuī, Sexte, nam C rārō pōnitur ante D et M, 'quadringenta' et 'nōngenta' rēctius scrībuntur CCCC et DCCCC."

MĀRCUS: "Ego ita scrīpsī!" Mārcus dīcit 'sē ita scrīpsisse'

MAGISTER: "Tū rēctē C quater scrīpsistī in iīs numerīs, sed etiam I quater scrīpsistī in numerīs 'quattuor', 'novem', 'quattuordecim', 'ūndēvīgintī': IIII, VIIII, XIIII, XVIIII. Id tē nōn docuī! Sciō antīquōs Rōmānōs totiēs I scrīpsisse, sed hodiē littera I pōnitur ante V et X: 'quattuor' scrībitur IV, 'novem' IX, 'quattuordecim' XIV, 'ūndēvīgintī' XIX – hī numerī rēctē scrīptī sunt ā Sextō et Titō." Magister dīcit 'hōs numerōs ā Sextō et Titō rectē scrīptōs esse.'

Tum magister sē vertit ad Titum, quī XL et XC scrīpsit, et "Sed cūr tū" inquit "XL et XC scrīpsistī? Eae litterae significant 'quadrāgintā et 'nōnāgintā', nōn 'quadringenta' et 'nōngenta', ut ego vōbīs dictāvī."

TITUS: "Ego tē 'quadrāgintā' et 'nōnāgintā' dīcere audīvī."

MAGISTER: "Male audīvistī! Tūne malās aurēs habēs? Profectō 'quadringenta' et 'nōngenta' dīxī. Nōnne vōs mē ita dīcere audīvistis, Mārce et Sexte?"

SEXTUS: "Certē nōs ita tē dīcere audīvimus. Scrīpsimus eōs numerōs quōs nōbīs dictāvistī." Sextus et Mārcus magistrum numerōs 'quadringenta' et 'nōngenta' dictantem bene audīvērunt, Titus male audīvit.

MĀRCUS: "Sed ego ūnus ex tribus discipulīs eōs numerōs rēctē scrīpsī! Cūr mē nōn laudāvistī, magister?"

MAGISTER: "Tē nōn laudāvī, quia aliōs quattuor numerōs prāvē scrīpsistī."

MĀRCUS: "Ego scrīpsī ut antīquī Rōmānī scrībēbant. Num tū antīquōs Rōmānōs prāvē scrīpsisse putās?"

Capitulum XXII

Puer et magister

Pūblius, quī puer improbus est, neque librōs legere, neque magistrum in lūdō recitantem audīre vult. Saepe igitur nōn ībat ad lūdum, sed in campīs errābat. In arborum rāmīs multae avēs canēbant laetae, quod āēr calidus erat, sōl in caelō lūcēbat, neque ūllae nūbēs cernēbantur. Iam campī novā herbā operiēbantur, et arborēs novīs foliīs ōrnābantur.

Dum autem Pūblius in campō ambulat, bōs ferōx, quī ibi herbam carpit, eum videt. Prīmum bōs diū puerum oculīs spectāvit; Pūblius vērō animadvertēns bovem sē spectāre, fugere cōnātur: at bēstia eum sequitur, quia puerum cornibus pulsāre vult. Bōs ad puerum currere incipit et in eum impetum facit. In postrēmā campī parte fossa erat, aquae plēna, in quam puer currēns sē iacit: postquam vērō in aquā fuit, valdē timuit, quia nōn tam bene natāre poterat: magnā igitur vōce clāmāvit, sed eius vōx ā nūllō praeter bovem audīta est, quī nōn sōlum aquam, sed etiam terram ūmidam et mollem timēns, in fossam nōn intrāvit.

Sed ecce caelum nūbibus ātrīs operītur, quae imbrem nōn exspectātum afferunt. “Heu!” inquit puer imbrem in fossam cadentem aspiciēns, “Nisi quis mē adiuvābit, in hanc fossam mergar! Ō mē miserum, quī tam stultē moriar!”

Perterritus igitur māximā vōce iterum clāmāvit. Tandem magister, quī per campum ad vīllam suam redībat, Pūbliī clāmantis vōcem audīvit; accurrēns igitur magnō baculō verberāvit bovem, quī fūgit; posteā vērō puerum ex fossā servāvit. Quī, postquam servātus est: “Ō magister!” inquit, “Quam laetus tē videō!” “At cum sedēs in lūdō et mē audīs recitantem” respondet magister rīdēns, “nōn saepe tam laetīs oculīs mē aspicere solēs!”

Iānitor probus

Dōrippa, amīca Lȳdiae, sōla habitat Rōmae in domō apud Tiberim flūmen. Forēs domūs cūstōdit iānitor, cui nōmen est Sanniō.

Dōrippa Lepidum amīcum habēbat, sed iam eum ē domō suā pepulit, quia eum falsum amīcum esse arbitrātur.

Domum reversus Dōrippa iānitōrī "Sī Lepidus redit" inquit, "nōlī admittere eum! Virum illum improbum iam vidēre nōlō. Nōn mē, sed ancillam amat."

Vesperī Lepidus cum novīs flōribus redit atque iānuam pulsat clāmāns: "Heus, iānitor! Aperī iānuam! Lepidus sum. Veniō amīcam meam salūtātum."

SANNIŌ: "Nōn licet mihi tē admittere. Dōrippa tēcum colloquī nōn vult. Putō eam iam dormītum iisse. Dīcit 'nōn sē, sed aliam fēminam ā tē amārī'."

LEPIDUS: "Nōn vērum est quod illa dīcit. Ego sum vērus amīcus quī amīcam meam nōn fallō. Necesse mihi est cum eā colloquī."

SANNIŌ: "Sed Dōrippa mē iubet tibi iānuam claudere."

LEPIDUS: "Nōn oportet illī fēminae sevērae pārēre! Iam aperī iānuam!"

SANNIŌ: "Profectō dominae meae pārēbō. Tē nōn admittō."

Lepidus dēnārium prōmit et iānitōrī ostendit: "Ecce dēnārius" inquit, "sī iānuam mihi aperīs, dēnārium tibi dō."

SANNIŌ: "Quamquam pauper sum, istam pecūniam ā tē accipere nōlō. Ego dominam meam nōn fallō!"

Tandem Lepidus intellegit sē iānitōrem probum nūllō modō movēre posse. Flōrēs ante forēs iaciēns "Valē" inquit, "iānitor – dūrior quam forēs tuae!"

Capitulum XXIV

Redit Sextus

Hōra septima est. Eā hōrā Cornēlius ambulātum īre solet antequam lavātum it, sed hodiē propter imbrem et tonitrum ambulāre nōn potest. Domī manet apud uxōrem suam Fabiam, quae in ātriō Sextum fīlium exspectat.

FABIA: “Sextus ante hōram septimam redīre solet. Quid eum agere putās?”

CORNĒLIUS: “Per hunc imbrem ac tonitrum ambulāre nōn potest. Putō eum sub tēctō exspectāre dum tonitrus dēsinet.”

Tandem iānua aperītur et Sextus ātrium intrat. Parentēs vērō fīlium suum vix cognōscunt, nam faciēs puerī cruenta est atque vestis eius sordida.

“Salvēte, pater et māter!” inquit puer.

“Ō mī fīlī!” inquit māter cruōrem cōnspiciēns, “Quid tibi factum est?” Sextus: “Pugnāvī cum Mārcō et Titō. Iī mē pulsāvērunt, postquam ego Mārcum pulsāvī.”

FABIA: “Cūr tū Mārcum pulsāvistī?

SEXTUS: “Quia ille dīxerat ‘mātrem meam fēminam turpem esse!’ ”

CORNĒLIUS: “Quid? Itane dīxit ille puer improbus?”

SEXTUS: “Nōn iīs ipsīs verbīs. Dīxit ‘suam mātrem fōrmōsissimam esse’ ac ‘mātrem meam sine ōrnāmentīs fōrmōsam nōn esse.’

Posteā mē ‘puerum barbarum’ vocāvit, quod eum pulsāveram.”

CORNĒLIUS: “Profectō nōn sine causā Mārcum pulsāvistī, quia mātrī tuae male dīxerat! Nam māter tua fōrmōsior est quam māter Mārcī, etiam sī illa plūra et pulchriōra ōrnāmenta habet. Nec tū puer barbarus es, sed doctior Mārcō.”

SEXTUS: “Certē nōn tam indoctus sum quam ille: rēctius et pulchrius scrībō ac melius computō. Magister mē laudāvit quod rēctissimē et pulcherrimē scrīpseram atque etiam assem mihi dedit quod optimē computāveram.” Sextus assem prōmit et parentibus ostendit.

FABIA: “Gaudēmus tē optimum discipulum esse. Nōn modo laudem, sed etiam dōnum meruistī. Ostende nōbīs litterās tuās quae laudātae sunt ā magistrō!”

Sextus prōmit tabellam, quam suam esse putābat, eamque parentibus ostendit.

Cornēlius tabellam spectāns mīrātur litterās foedās ac difficilēs lēctū esse. “Quidnam hoc est?” inquit, “Num magister hās litterās laudāvit?”

SEXTUS: “Immō ‘litterās foedās esse’ dīxit, sed hae litterae ā Mārcō scrīptae sunt. Iam intellegō Mārcum tabulās nostrās mūtāvisse inter pugnam. Is meam tabulam sūmpsit – mīror eum assem meum nōn sūmpsisse!”

FABIA: “Mārcus multōs nummōs ā patre suō dīvite accipit.”

SEXTUS: “Rēctē dīcis: is multōs nummōs habet – ac nescit numerāre pecūniam suam! Ego ūnum assem habeō ac sciō quattuor assēs facere sēstertium et quattuor sēstertiōs dēnārium.”

CORNĒLIUS: “Quot assēs faciunt quattuor sēstertiī?”

SEXTUS: “Sēdecim scīlicet. Hoc idem magister nōs interrogāvit. Sed id quod mē interrogāvit multō difficilius erat. Ecce exemplum: Quot dēnāriōs faciunt duodēquīnquāgintā sēstertiī? Tū mihi respondē, pater!”

Hominēs et bēstiae

Lŷsander, Graecus vir quī bēstiās omnēs dīligēbat, māximē equīs dēlectābātur, quōs amīcōs, nōn servōs hominum esse putābat.

Is ōlim, dum Spartam, quō salūtātum amīcum ībat, iter facit, improbō occurrit hominī, quī equum suum, magnum et pulchrum animal, virgā validē verberābat: ex equī tergō multum sanguinis fluēbat; misera bēstia, quae catēnā ad mūrum vinciēbātur neque fugere poterat, dolōrem silentiō ferēbat. Cum prīmum hoc cōnspexit, Lŷsander, rem indignam vīsū esse putāns, ad hominem illum accessit, et, prehēnsā manū quā virgam tenēbat, sevērē reprehendit eum ‘ferōcem et minimē hūmānum’ esse dīcēns. Cui alter, “Num tuum” inquit “est animal? Haec bēstia mea est: quod igitur mē dēlectat, facere possum; nōnne licet mihi equum meum, sī ita volō, verberāre?” “Certē” respondit Lŷsander; “Immō, exemplum tuum sequar, et idem ego quoque faciam!” Postquam vērō haec dīxit, magnō baculō, quod manū tenēbat, tergum hominis graviter iterum iterumque verberāvit. Alter vērō clāmāns: “Heus”, inquit,

"quid agis?" Cui Lŷsander. "Quid vīs?" inquit "Hoc enim baculum meum est. Nōnne igitur mihi licet eō id facere, quod mē māximē dēlectat?"

Capitulum XXV

Dāvus amīcum suum pugnantem Rōmae videt

Paucōs ante diēs Dāvus et Lēander, duo ex servīs Iūliī, quī ad oppidum Tūsculum ierant, iūxtā viam quae dūcit ad tabernam ubi gemmae pulcherrimae emī possunt cruentam pugnam vidērunt inter duōs hominēs, quibus vestēs cruōre sordidae erant. Causa pugnae nōn erat facilis intellēctū; sed cum alter alterī dīxit 'canem suum catēnam ferream rūpisse' Dāvus intellēxit canem pallium scidisse genūque momordisse hominis pugnantis, cui nōmen erat Syrus. Eum Dāvus iam Rōmae cognōverat, at difficile erat eum recognōscere, quod propter timōrem pallēbat.

"Ego nōn vēnī hūc ūnā cum cane meō contrā tē pugnātum" alter clāmābat īrātus. "Petītūrus eram tabernam. Scītō canem meum ferōcem nōn esse. Catēnam quā vinciēbātur rūpit, quia tū sacculī meī fūrtum facere volēbās!" Postquam spectātum accessērunt ad eōs, Dāvus Syrum vīdit humī iacentem. Auxiliō datō "Salvē, Syre!" inquit "Cavē posthāc illum canem, quī iam semel tē momordit!" Tum dominō canis: "Amīcum meum sacculī tuī fūrtum facere voluisse nōn arbitror. Mihi integer sacculus esse vidētur, Syre, quā dē causā ad eum accessistī?" "Ad eum accessī" Syrus respondit "quaesītum viam Tūsculum ferentem. Nam mihi ex Graeciā venientī via quae ad oppidum illud dūcit nōn est facilis inventū. Saepissimē viās istās oblīvīscor, quod nōndum eās bene cognōscō. Crēde mihi!" "Nunc tē nōn mentītum esse sciō" dominus canis respondit ac sē excūsāre cōnātur: eum enim pudēbat canem sine causā Syrum momordisse; eī igitur rēctam viam ostendit servīsque Iūliī pollicitus est nēminem posthāc ā cane suō petītum īrī.

Nōn omnēs virī malī sunt, Metella!

Tabellārius domum Iūliī vēnit, quī epistulam Aemiliae attulit. Iānitor eum prīmō in vīllam admittere nōlēbat; ille tamen intrāvit et epistulam ostendit ōstiāriō; quī sta-

tim epistulam prehendit et ad dominam suam in ātriō sedentem tulit. Aemilia cēram aspiciēns signum amīcae suae cognōvit, cui nōmen erat Metella. Postquam signum rūpit, epistulam legere coepit, quā amīca rem trīstem, quae eī acciderat, nārrābat. Metella enim plānīs verbīs scrīpserat 'sē īnfēlīcem esse': 'amīcum suum in Graeciam esse profectum' nārrābat neque spērābat 'sē eum vīsūram esse' ūsque ad fīnem annī. Amīcus, quī mercātor erat, dīxerat 'sē procul ab oppidō haud longum tempus mānsūrum esse'; tamen affīrmāverat 'sē officia sua neglegere nōn posse sibique ā mercātōribus Graecīs mercēs emere opus esse.' Sed Metella amīcum mentīrī eamque fallere putābat. "Tālēs sunt virī, mea Aemilia!" scrīpserat in epistulā "Ille mihi 'amōrem suum numquam minōrem futūrum esse, immō vērō auctum īrī' prōmīserat!" Cum Metella ad portum Ōstiae amīcum proficīscentem salūtātum īvit, ā longē clāmāvit: "Revertere ad mē! Nōlī mē sōlam relinquere!" – sed vōx eius difficilis erat audītū, neque amīcus eam vidēre potuerat, quia nāvis quam celerrimē portum dēseruerat et brevī ē cōnspectū Metellae abierat.

Aemilia dolēbat quod Metella scrīpserat 'sē miserrimam esse atque cotīdiē multīs cum lacrimīs flēre,' sed sciēbat virum illum nōn esse improbum; ergō certa erat eum brevī reditūrum esse ad amīcam suam. Aemilia enim eum amīcam suam relīquisse crēdere nōn poterat. Post trēs mēnsēs Aemilia alteram epistulam accēpit, quā Metella eī nārrāvit 'amīcum ē Graeciā rediisse sibique dōnum pulcherrimum dedisse.' Amīcus enim ē Graeciā ānulum māgnī pretiī sēcum tulerat, eumque Metellae dederat. Metella laetissima erat.

Neuter recēdere vult

Paucōs ante diēs Lēander, servus Iūliī, postquam in forō Tūsculānō pānem et piscēs ēmit, viam longam et angustam intrāvit quae ā forō ad portam oppidī dūcit. In eā viā dominō Cornēliō occurrit, quī equō vehēbātur ad forum. Lēander ipse ā forō vehēbātur asinō. Necesse fuit utrumque cōnsistere, neuter prōcēdere potuit, nam nimis angusta erat via. Sed neuter eōrum, neque Cornēlius neque Lēander, recēdere voluit!

Cornēlius vultū sevērō servum aspiciēns "Heus tū, serve!" inquit, "Cēde mihi! Iubē asinum tuum ad forum revertī!" Ad hoc Lēander, quī asinum suum bene nōverat, "Asinus meus recēdere nōn vult. Atque ego iam longē absum ā forō. Tū revertere ad

portam!" At dominus īrātus "Profectō" inquit "nōlō tibi, sordidō servō, cēdere! Nisi tū statim mihi cēdis, hōc baculō et tē et asinum tuum verberābō!" Haec locūtus, dē equō dēscendit et baculum ante sē tenēns ad Lēandrum accessit.

Tum vērō asinus turpissimō sonō rudere coepit: "Ruirruirruirr..." Strepitū territus, equus Cornēliī in pedēs posteriōrēs surgēns sē vertit atque ē locō fūgit. Asinus cum Lēandrō equum currentem secūtus est, neque Cornēlius eum retinēre potuit. Rubēns ob pudōrem rediit ad equum suum, quī intrā portam dominum exspectābat.

Puer barbarus

Prīmā lūce Mārcus cum Dāvō Tūsculum ambulat. Dāvus nōn modo rēs Mārcī fert, sed etiam epistulam quam Iūlius ad magistrum scrīpsit.

DĀVUS: "Ecce epistulam dominī ferō, quam tū ipse magistrō tuō trādēs."

MĀRCUS: "Etiamne mercēdem fers, quam magistrō dēbēmus?"

DĀVUS: "Pecūniam nōn ferō. Pater tuus mercēdem solvere nōn vult."

MĀRCUS: "Ergō magister īrātus erit mihi."

DĀVUS: "Nōn tibi, sed patrī tuō īrātus erit. Dominus enim plānē scrībit 'magistrum nihil tē docēre posse neque igitur mercēdem meruisse!' "

MĀRCUS: "Ita est ut scrībit pater: nihil discō ab illō magistrō!"

Mārcus et Dāvus incipiunt collem ascendere in quō situm est Tūsculum oppidum.

MĀRCUS: "Mīror quod oppidum nōn in valle, sed in colle situm est."

DĀVUS: "Oppida in collibus aedificantur, quia facilius est collem dēfendere. Difficile enim est hostibus collem ascendere."

Mārcus frontem tergēns "Nōn sōlum hostibus" inquit "difficile est. Ego semper fessus sum cum tandem ad lūdum advēnī. Ob eam causam necesse est in lūdō dormīre!"

DĀVUS: "Id tē nōn excūsat. Posthāc necesse erit tē in lūdō vigilāre ac magistrō pārēre. Laetāre quod tibi licet in lūdum īre – mihi puerō nōn licēbat."

MĀRCUS: "Sed tū servus es, Dāve."

DĀVUS: "In patriā meā servus nōn eram."

MĀRCUS: "Quae est patria tua?"

DĀVUS: "Est Britannia."

MĀRCUS: "Ergō puer barbarus erās."

DĀVUS: "Laetāre quod tū puer barbarus nōn es! Puerīs barbarīs nōn licet litterās et numerōs discere."

MĀRCUS: "Sed puerīs barbarīs licet diēs tōtōs cum aliīs puerīs lūdere, per campōs et silvās errāre, in flūminibus natāre, equōs regere, ferās occīdere, nec iīs necesse est ante lūcem surgere."

DĀVUS: "Puerī barbarī nōn tam beātē vīvunt quam tū putās. Multa mihi puerō erant officia, neque enim servum neque ancillam habēbat pater meus."

MĀRCUS: "Quārē ex patriā tuā profectus es?"

DĀVUS: "Parentēs meī ā mīlitibus Rōmānīs necātī sunt, quia Rōmānīs auxilium ferre nōlēbant."

MĀRCUS: "Cūr Rōmānīs auxilium negābant?"

DĀVUS: "Quia Rōmānī hostēs erant Britannōrum atque māgnō exercitū bellum gerēbant contrā patriam nostram. Ego cum parentibus meīs habitābam in parvā domō prope māgnam silvam in quā exercitus Britannōrum sē occultābat. Subitō mīlitēs Rōmānī domum nostram intrāvērunt ac patrem meum interrogāre coepērunt. Ille vērō cīvēs suōs, quī patriam suam ab hostibus dēfendēbant, fallere nōlēbat neque ūllum verbum fēcit dē exercitū Britannōrum quī in silvīs occultābātur. Meīs oculīs vīdī patrem et mātrem ā saevīs mīlitibus occīdī. Ipse puer quīndecim annōrum cum cēterīs Britannīs captīs Rōmam missus sum et servus factus. Pater Iūliī mē sescentīs sēstertiīs ēmit."

Īnfāns repertus

Syra et Dēlia ancillae Tūsculum eunt, quia in oppidō variās rēs necessāriās emere dēbent. Antequam forum intrant, per viam angustam obscūramque ambulant. Ancillae timidae circum sē spectant neque ūllum hominem in viā obscūrā cōnspiciunt, sed Dēlia exiguōs sonōs audit: "Vā... vā... vā..." et Syram interrogat: "Audīsne illōs sonōs, Syra?" "Quōs sonōs?" inquit Syra, "Ego nihil audiō; sed videō aliquid in mediā viā iacēre. Quidnam est?" Ancillae īre pergunt et mox ante saccum cōnsistunt in quō cūnae īnsunt cum parvulō īnfante! Dēlia iam intellegit sonum quem audīvit vō-

cem īnfantis vāgientis fuisse. Vestīmenta īnfantis sordida et ūmida sunt, neque māter neque nūtrīx adest. Syra īnfantem tollit et complectitur; īnfāns ancillam timidē spectat oculīs mīrantibus, tum vāgīre pergit. Syra mīrātur mātrem īnfantem suum ita in viā dēseruisse, atque iam cōnstituit eum portāre ad nūtrīcem quae eum alere et cūrāre poterit. Dum haec sēcum cōgitat, subitō mulier in viam exit multīs cum lacrimīs clāmāns: "Nūlla fēmina mē miserior vīvit! Melius erat mē mortuam esse quam sine īnfante meō vīvere!" Dēlia eam interrogat: "Quid tibi est?" et mulier flēns respondet: "Vir meus improbissimus mē dēseruit. Postquam mē pulsāvit ac paene necāvit, īnfantem nostrum prehendit atque mihi dīxit 'sē eum in flūmen iactūrum esse!' Tum saccum in quō erant cūnae cum īnfante sēcum tulit. Quis mihi īnfantem reddet? Fortasse iam mortuus est!"

Hoc audiēns Syra miserae mulierī īnfantem ostendit quem 'in mediā viā in saccō inventum esse' nārrat. Māter statim īnfantem ut fīlium suum cognōscit eumque complectitur atque ōsculātur. Lacrimās dēterget atque laeta cum īnfante suō discēdit.

Syra trīstis est neque umquam eius parvulī īnfantis oblīvīscētur.

Somnus turbātus

Intrā paucōs mēnsēs Aemilia rūrsus parvulum īnfantem habēbit. Iūlius iam laetātur quod iterum fīliolum aut fīliolam suam prīmōs gradūs et prīma verba docēbit. Etiam cēterī līberī laetābuntur cum novum īnfantem in cūnīs vidēbunt.

Nox est, lūna lūcet in caelō serēnō inter stēllās minōrēs. In vīllā omnia silent, nec tamen Aemilia bene dormit; somnus eius valdē turbātus est. In somnīs enim foedam nūtrīcem vidēbat, cui novum īnfantem suum dederat; sed illa nūtrīx parvulum īnfantem male cūrābat: neque enim īnfantem sordidum lavābat aut vestem eius mūtābat neque satis lactis eī dabat; itaque īnfāns semper vāgiēbat neque dormīre poterat. Nūtrīx vērō īnfantem vāgientem sordidīs manibus prehendit atque rīdēns "Īnfantem tuum in flūmen iaciam!" inquit mātrī miserrimae, quae eam retinēre cōnābātur ...

Hīc Aemilia Iūliā plōrante ē somnō excitātur. Etsī rēbus quās in somnīs vīdit territa est, statim surgit atque ad fīliam suam accurrit. "Quid plōrās, Iūlia?" inquit, et Iūlia respondet: "Plōrō quia in parvā īnsulā sōla relicta sum ubi nēmō mē amat – vōs omnēs meam parvulam sorōrem tantum amātis ..." "Quae haec est fābula?" inquit

Aemilia, “Tibi soror nōn est. Nōlī rēbus falsīs quās in somnīs vidēs terrērī! Omnēs tē amāmus, Iūlia. Ecce statim ad tē veniō, quia tē plōrāre audīvī.” Hīs verbīs Aemilia fīliam suam territam cōnsōlātur, neque vērō dīcit ‘sē ipsam rem terribilem in somnīs vīdisse.’

Capitulum XXX

Improbus servus Mārcō suādet ut fugiat

Mārcus iterum puer ita improbus fuit, ut nōn sōlum Iūliam sorōrem pulsāret, sed etiam in viā cum aliīs puerīs pugnāret. Pater eius tam īrātus erat, ut eum baculō verberāre vellet; at māter, cum fīlium pallentem propter timōrem vidēret, marītum ōrāvit, nē tam sevērē improbum puerum pūnīret; eī suāsit ut in cubiculō duōs trēsve diēs eum inclūdī iubēret. Mārcus, quamquam gaudēbat patrem eum nōn pulsāvisse, tamen nōn laetābātur quod eī necesse erat in cubiculō parvō obscūrōque tam longum tempus iacēre. Strepitū māximō diū clāmāvit, et forem manibus pedibusque percutiēbat, quia eam effringere cōnābātur. Tandem fessus fuit pulsandō et clāmandō; dum in lectō recumbit et dormīre paulisper cōnātur, quīdam nēquam servus patris cubiculum intrāvit ut eī cibum ferret. Statim puer ē lectō surrēxit et ex iānuā cubiculī apertā fugere cōnātus est, at servus eum prehendit ac tenuit. “Sine mē abīre! Nōlō hōc in cubiculō obscūrō manēre!” Mārcus clāmāvit. Tum servus parvā vōce: “Hīc extrā cubiculum pater tuus ambulat, quī statim tē rūrsus in cubiculō cūstōdīrī iubēbit. Illa via nōn patet ad fugiendum. Tū ipse per tē hinc effugere nōn potes, at hodiē fēlīx diēs est tibi, quia ego tē docēre possum fugiendī artem. Vīsne mē, fugiendī magistrum, tibi auxilium ferre?” Hīs verbīs audītīs Mārcus, quī patrī oboedīre nōlēbat, neque in cubiculō manēre cupiēbat, servum ōrāvit ut omnia sibi dīceret sine morā: ‘sē parātum esse ad omnia perīcula adeunda’ dīxit. Tum servus ille, nōmine Fabricius, cum in fugiendō puerum iuvāre vellet, sīc loquī perrēxit: “Bone puer, laetor quod tam audāx esse vidēris, quia semper audēre nōbīs opus est atque rēs secundās ēligere, ut fēlīcitātem cōnsequāmur. Num fābulam quae dē Daedalō et Īcarō nārrātur ignōrās? Illī hominēs fuērunt quī prīmī per āera volāre ausī sunt... sed cūr illīs necesse fuit volāre? Unde effugere cōnātī sunt? In carcere inclūsī erant, sed nūllō modō lībertātem oblīvīscī poterant. Tibi quoque ex hōc carcere exīre opus est! Nē ūnam quidem hōram hīc manēre poteris! Sequere Daedalī Īcarīque exemplum: fuge! Vidēsne illam fenestram?

Per eam hinc exīre potes: ītō et mox ad oppidum perveniēs! Age, puer audāx: nēmō tē cōnsequī poterit!” Mārcus palluit cōgitāns quid pater dē hōc cōnsiliō fugae sentīre posset. Puer ita patrem īrātum timēbat, ut tam procul ā vīllā fugere nōn audēret. Praetereā Mārcus, quamquam saepe improbus fuit neque patrī pāruit, tamen malus puer nōn erat: parentibus ipse carēre nōlēbat, neque tantum dolōrem mātrī afferre volēbat, ut ipsa, ā fīliō quem valdē amābat relicta, multīs cum lacrimīs maerēret.

Subitō Iūlius cubiculum intrāvit, quī servum sevērissimē reprehendit et “Audīvī” inquit īrātus baculum ante sē tenēns “istum servum tibi persuādēre cōnantem ut mihi nōn pārērēs. Ego vērō cūrābō nē quidquam contrā dominum suum iam agere audeat! Faciam ut tergum eī doleat!” Servus humī sē prōiēcit ad pedēs dominī, eumque ōrāvit nē sē verberāret. “Precēs tibi nōn prōderunt, serve nēquam. Verbera multa meruistī! Tū vērō, Mārce, venī mēcum: sciō tē bonum puerum esse, neque tē umquam mātrem, quae tē valdē amat, relictūrum esse spērō, etsī hominēs improbī tibi suādent ut hoc faciās!” Iūlius duōbus aliīs servīs imperāvit ut Fabricium prehenderent atque in hortum traherent.

Mārcus inclūsus

Hodiē magister īrātus Mārcum verberāvit, quia malus discipulus fuerat, atque etiam epistulam ad Mārcī patrem scrīpsit in quā dē fīliō eius improbō querēbātur. Rediēns ē lūdō cum aliīs puerīs pugnāvit et domī parentibus suīs mentītus est, ita ut māter crēderet eum bonum discipulum fuisse! Sed epistulā magistrī acceptā pater intellēxit fīlium suum tam male fēcisse ut verbera merēret. At māter, cum fīlium ob timōrem pallentem vidēret, marītum ōrāvit nē puerum tam sevērē pūnīret. Iūlius igitur Mārcum in cubiculum inclūdī iussit, atque ad magistrum, quī mercēdem sibi dēbitam poscēbat, scrīpsit ‘sē mercēdem solvere nōlle.’ Mārcus in cubiculō obscūrō inclūsus quamquam gaudēbat sē nōn iterum ā patre verberātum esse, māgnā vōce querēbātur atque forēs manibus pedibusque percutere coepit. Cum forem ligneum frangere nōn posset, fessus clāmandō et pulsandō in lectō recumbēns dormīre cōnātus est. Postquam hōram dormīvit, excitātus est, cum clāvem cubiculī vertī audīret. Dāvus servus, quī puerō inclūsō cibum afferēbat, forem cautē aperuit, et cum prīmum Mārcus forem apertam vīdit, celerrimē ē cubiculō effūgit! Dāvus eum prehendere cōnātus est,

sed cibus quem tenēbat eī ē manibus lāpsus est, neque puerum fugientem cōnsequī potuit. Fessus currendō Dāvus ad dominum revertit et 'Mārcum per forem apertam ē cubiculō effūgisse atque sē frūstrā puerum fugientem persecūtum esse' cōnfessus est. "Quid ais?" inquit Iūlius īrātus, "Tūne Mārcum in fugiendō iūvistī? Atque ego tibi prae cēterīs crēdēbam!" et aliōs servōs Mārcum quaerere iussit. Tandem puer in triclīniō repertus est, ubi sē sub mēnsā occultābat.

Amīcus Philippae Chrīstiānus

Aemilia in cubiculō suō sedet, dum Philippa ancilla capillōs dominae exōrnat. Domina speculum ante sē tenet et sē spectat; silentium ancillae animadvertit atque in speculō eam lacrimantem videt. Lacrimīs ancillae permōta "Quid est, Philippa?" inquit, "Cūr flēs?"

"Ō domina!" inquit ancilla, "Brevī sōla relinquar ā virō, nōmine Proculō, quem ante omnēs amō. Omnium mulierum miserrima esse mihi videor! Quid faciam? Quōmodo vīvam sine eō?"

Aemilia: "Sī tē relinquere vult, haud probus est vir. Quam saepe virī montēs aurī fēminīs pollicentur, tum vērō, prōmissa sua oblītī, eās sōlās dēserunt! Nōlī maerēre ob amōrem tālis virī improbī, quī tē indīgnus esse vidētur."

"Immō probus, probissimus est Proculus meus!" exclāmat Philippa, "Nōn suā causā mē dēseret. Dominus eius crās eum ad mortem dūcī iubēbit."

Aemilia: "Quid ais, Dēlia? Quid fēcit iste vir? Hominemne necāvit? Neque enim ūllus dominus sine causā servum suum ita pūnit. Etsī tū dēfendis eum, quoniam eum amās, tamen dubitō num amīcus iste tuus vir probus sit."

Philippa prae dolōre loquī nōn potest ac lacrimāre pergit. Aemilia, quae bona domina est, eam verbīs suīs cōnsōlārī cōnātur. Tandem Philippa "Ō domina!" inquit, "tibi aliquid dīcam quod aliīs omnibus occultāre necesse est, nē ego quoque in carcerem mittar. Amīcus meus duōs iam mēnsēs in carcere inclūsus tenētur, et crās saevissimīs ferīs vorandus dabitur! Tibi igitur hanc rem cōnfitēbor: Proculus meus ... est ... est Chrīstiānus!"

"Quid? Chrīstiānus?" inquit Aemilia. "Melius erat eum esse fūrem nēquissimum! An nescīs Chrīstiānōs īnfantēs necāre atque eōrum sanguinem bibere? Praetereā tam

stultī esse dīcuntur ut quīdam eōrum asinum tamquam deum adōrent. Oblīvīscere illīus virī improbī, quī tam turpiter vīvit, mea Philippa!"

At ancilla "Quī tālia dīcunt" inquit "mentiuntur, nec vērō Chrīstiānōs umquam cognōvērunt. Mihi crēde, domina! Tū scīs mē numquam tibi mentītam esse."

Ergō Aemilia, quae aliquid dē vītā Chrīstiānōrum audīre cupit, ancillae suādet ut sibi plūra nārret dē hāc rē. Philippa vērō rogat dominam suam ut prōmittat 'sē auxilium lātūram esse Proculō,' quī in tantō perīculō versātur.

Philippa dē Chrīstiānīs

Philippa ancilla cum Aemiliā colloquitur, dum eī capillōs exōrnat.

Ancilla cōnfessa est 'amīcum suum, nōmine Proculum, esse Chrīstiānum.' Domina, hāc rē cognitā, prīmō tam perturbāta est ut Philippae suādēret ut virum illum dēsereret, tum vērō, cum lacrimās ancillae vidēret eamque audīret dīcentem 'vītam Chrīstiānōrum probam esse,' rogāvit eam ut plūra dē hāc rē sibi nārrāret.

Ergō Philippa "Multae rēs falsae" inquit "dē Chrīstiānīs nārrantur, omnēs vērō quī tālia nārrant mentiuntur. Dīcunt 'Chrīstiānōs asinum adōrāre ac tam saevōs esse ut īnfantēs necāre eōrumque sanguinem bibere soleant!' Quid stultius, quid falsius dīcī potest? Chrīstiānī tam probē vīvunt ut maleficia nē cōgitāre quidem iīs liceat; accūsantur 'quod nōn habeant templa neque illōs deōs adōrent quōs cēterī Rōmānī verentur'; dīcuntur 'lūcem fugere atque gravia maleficia sua omnī modō occultāre cōnārī.' At ego, quae eōs bene nōvī, tibi plānē dīcō 'eōs esse optimōs hominēs.'

Dīligenter cavent nē per tōtam vītam scelera faciant, nē fidem fallant, nē coniugem aliēnam cupiant. Certō diē ante lūcem convenīre solent, ut carmen Chrīstō quasi Deō canant; tum discēdere solent, et rūrsus in eundem locum omnēs conveniunt ad cēnam: ūnus ex iīs pānem frangit cēterīsque tamquam frātribus pānem dat itemque vīnum, quod ex eōdem pōculō omnēs bibunt. Ūnum adōrant Deum, 'eum' dīcunt 'omnium hominum esse Dominum et in eius potestāte tōtum mundum esse, et caelum, et terram et mare.' Dicta et facta Chrīstī legunt ē libellīs, quōs scrīpsērunt discipulī eius, quī ipsī suīs oculīs et auribus Dominum nostrum vīderant et audīverant. Posteā iterum carmina et precēs Deō et Chrīstō canunt. Chrīstus, quī in Iūdaeā vīxit, fīlius Deī esse dīcitur; is multōs aegrōs sōlīs verbīs suīs sānābat; faciēbat ut caecī vidē-

rent, surdī audīrent, mūtī loquerentur, imperābat claudīs ut surgerent et ambulārent – etiam quōsdam mortuōs suscitāvit! Postrēmō improbī hominēs eum terribilem in modum necāvērunt, sed ille surrēxit ā mortuīs tertiō diē et in caelum ascendit."

"Tūne" inquit Aemilia "haec omnia vēra esse crēdis? Ō, Philippa! nōn sōlum amīcus tuus, sed tū ipsa Chrīstiāna esse mihi vidēris." Haec locūta domina ancillam suam intuētur.

Philippa prīmō pallet, tum rubet – nōn quod eam pudeat esse Chrīstiānam, sed quia domina eam accūsāre vidētur. At Aemilia, quae ancillam suam māgnī aestimat, continuō eam cōnsōlātur: "Nōlī timēre, Philippa! Ego nōndum mihi persuādēre possum haec quae mihi nārrāvistī dē Chrīstō esse vēra; sed intellegō nōn omnēs Chrīstiānōs esse tam malōs hominēs quam dīcuntur. Bonō animō estō! Dēlectāta sum tē audiendō, neque cuiquam hanc rem nārrābō."

Dēliae amīcus ad mortem dūcitur

Dum Dēlia capillōs dominae exōrnat, Aemilia eam trīstem esse animadvertit. Dominae interrogantī 'quid fieret' ancilla, postquam diū dubitāvit num causam dolōris suī Aemiliae dīcere posset, tandem cōnfessa est 'amīcum suum, nōmine Proculum, esse Chrīstiānum; prīncipem eum ad mortem dūcī iussisse.' Aemilia igitur Dēliam rogāvit ut sibi dē illō virō nārrāret. "Amīcus meus servus erat probus, quī in vīllā dominī cum reliquā familiā Ōstiae habitābat.

Dominus eum māgnī aestimābat, cum ille omnia officia sua semper optimē cūrāret, neque umquam dominum fallere cōnātus esset. Ita ā dominō dīligēbātur ut cēterī servī eī valdē invidērent. Ō domina! Doleō, cum dē hāc rē cōgitō: ōlim ūnus ex servīs, quī forte post forēs stābat, amīcum meum in cubiculō Chrīstum dominum suum invocantem audīvit. Servus ille improbus, cum putāret hanc esse causam ut Proculus ē vīllā pellerētur atque ad mortem cum aliīs Chrīstiānīs mitterētur, statim ad amīcum meum accūsandum dominum adiit, eīque rem, sīcut audīverat, nārrāvit.

Dominus, quamquam valdē dolēbat, tamen Proculum cūstōdīrī iussit; dīxit 'sē diē posterō eum prīncipī trāditūrum.' Amīcus meus sciēbat quā morte moritūrus esset, nisi parātus esset ad contemnendum Chrīstum et ad prīncipem deōsque adōrandōs; sed, cum id facere nōllet, is ad mortem certam mittēbātur. Haud longum tempus eī

reliquum erat ad vīvendum. At, cum iam dē vītā dēspērāret, domina, quae eī bene volēbat, ingressa carcerem, in quō is erat inclūsus, eum ita in fugiendō iūvit ut ad portum Ōstiae tūtus pervenīret. Ibi Proculus nāvem cōnscendit, cuius gubernātor eī erat nōtus; quā vectus Aegyptum petiit. Spērābat enim hōc modō sē occultāre posse in locīs ubi nūllus homō, sed tantum bēstiae ferae habitārent.

Cum prīmum in Āfricam pervēnit, urbēs et oppida fūgit, et in locīs ab hominibus dēsertīs trēs mēnsēs habitāvit, neque quidquam ēsse poterat, nisi herbam – quae tamen rāra erat – et parvās bēstiās, quās ipse capiēbat. Post trēs mēnsēs vērō mīlitēs, quī per illa loca trānsībant, eum vīdērunt; eum captum Rōmam ad prīncipem dūxērunt; ipse sine timōre 'Chrīstiānum sē esse et servum fugitīvum' cōnfessus est. Prīnceps igitur eum ad mortem dūcī iussit." Dēlia prae lacrimīs et dolōre dē amīcō suō iam nārrāre nōn potest. Aemilia, quae in audiendō mōta est, ancillam suam cōnsōlārī cōnātur.

Capitulum XXXI

Tyrannī vīta

Dionȳsius, Siculus tyrannus, quamquam māximās habēbat dīvitiās magnamque rērum omnium cōpiam possidēbat, nōn putābat sē esse beātum. Ōlim vērō Damoclēs, ūnus ex hominibus quī eum valdē admīrābantur, in sermōne, eius dīvitiās, vāsa argentea, vestēs pretiōsās, magnificam domum ita laudāvit, ut negāret umquam hominem beātiōrem fuisse; cui tālia dīcentī "Vīsne igitur," inquit Dionȳsius, "quoniam haec vīta tē dēlectāre vidētur, ipse eandem gustāre, ut cognōscās quālis sit fortūna mea?" Statim ille sē id māximē cupere respondit.

Tum tyrannus hominem in aureō lectō magnificīs imāginibus ōrnātō pōnī iussit, quem imperāvit ut servī pretiōsissimā veste sternerent; mēnsāsque plūrimās apposuit exōrnātās flōribus inter vāsa et pōcula ex aurō et argentō facta sparsīs; quae vāsa erant optimōrum cibōrum et dulcissimōrum vīnōrum plēna. Deinde ad mēnsam puerōs fōrmōsissimōs iussit cōnsistere, eīsque imperāvit ut Damoclī omnibus in rēbus dīligenter servīrent. Tībīcinēs fidicinēsque tam pulchrē carmina canēbant, ut nihil pulchrius illō cantū cōgitārī posset. Damoclēs igitur sibi fēlīx esse vidēbātur.

Dum tamen haec omnia magnificē fiunt, suprā sē magnum perīculum impositum esse cōnspexit: nam tyrannus lūcentem gladium, fīlō māximē tenuī vīnctum, ex altō supra eius caput dēmittī iussit, ut impendēret illīus beātī collō. Itaque nec pulchrōs illōs ministrōs iam aspiciēbat Damoclēs, nec vāsa argentea summā arte cōnfecta; nec manum extendēbat in mēnsam, sed ūnum illum gladium aspiciēbat, quō ita terrēbātur, ut dē cēterīs omnibus rēbus, quamquam pulcherrimae erant, nūllō modō cūrāret. Dēnique ōrāvit tyrannum ut sibi abīre licēret: nam tantum erat perīculum, ut tālī modō sibi nōn iam beātus esse vidērētur. Dionȳsius igitur hōc modō dēmōnstrāvit nōn esse dīcendum beātum illum, cui semper aliquī metus impendeat.

dē-mittere

im-pendēre = suprā stāre

Capitulum XXXV

Marītus ēbrius

Tryphō est tabernārius Rōmānus quī nōn sōlum librōs, sed etiam tabulās, chartam, stilōs, calamōs, cētera vēndit. Nec māgnum lucrum facit, quia paucī sunt hominēs quī litterīs student atque librōs emunt.

Hodiē autem quīdam vir doctus trēs librōs pretiōsōs ab eō ēmit. Itaque Tryphō, quī gaudet sē bonum lucrum fēcisse, postquam vesperī tabernam suam clausit, nōn ad uxōrem et līberōs suōs ascendit, ut solet, sed tabernam petit, ubi optimus cibus coquitur. Postquam cocum salūtāvit, in lectō accumbit et carnem porcī cum holeribus atque vīnum aquamque frīgidam sibi apportārī iubet. “Nōlī vērō” cocō inquit “nimium salis carnī addere!” “Nē timueris!” respondet cocus, “Negōtium meum bene sciō.” Minister vīnum et aquam apportat, neque enim Tryphō vīnum merum bibit, sed aquam vīnō miscet. Brevī carō porcī ā ministrō in mēnsā appōnitur.

Dum Tryphō vīnum et cibum gustat atque optimum cocum laudat, duo eius amīcī adulēscentēs tabernam intrant et Tryphōnem salūtant. Quōs Tryphō, etsī inexspectātī veniunt, ad mēnsam suam recipit. Illī statim vīnum merum cum melle ā ministrō petunt. “Mihi placet vīnum dulce, nōn acerbum” ait alter ex amīcīs, et vīnō mel miscet. Tryphō autem, ut solet, aquam suō vīnō miscēre vult, cum alter amīcus “Nōlī” inquit “aquam cum bonō vīnō miscēre, Tryphō! Quīn vīnum merum bibis nōbīscum?”

Iam nōn modo adulēscentēs, sed etiam Tryphō merum pōtat. Omnēs pōcula exhauriunt. Tryphō, quī paulum bibere solet, pōculum suum vacuum in mēnsā pōnit et “Necesse est” inquit “mē redīre, nam domī uxor mē exspectat.” Surgere vult, sed alter ex adulēscentibus “Itane uxōrem tuam verēris?” inquit, “Nē oblītus sīs nōs amīcōs esse tuōs! Num nōbīs alterum vīnī pōculum negāre vīs? Cum amīcīs pōtāre oportet!”

Tryphō igitur alterum vīnī pōculum postulat, atque minister iterum merum in pōcula eōrum fundit. Hīc, pōculum tollēns, adulēscēns exclāmat: “Bibāmus igitur

et gaudeāmus! Nunc est bibendum!" et pōculum suum exhaurit. Tryphō, quī amīcīs largus vidērī cupit, alterum atque alterum pōculum vīnī rogat. Ita cum amīcīs suīs tot pōcula merī pōtat ut vix sōlus ambulāre possit. Amīcī vērō, etsī ipsī male ambulant, eum sustinēre cōnantur dum incertīs gradibus domum redit.

Domī Tryphō uxōrem suam, quae marītum impatienter exspectat, vōce inconditā salūtat, neque eam ōsculātur, sed statim lectum petit. Uxor vērō, cum marītum suum ēbrium esse sentiat, īrāta est baculumque sūmit ut eum verberet. Tryphō eam rogat ut sibi ignōscat et sē excūsāre cōnātur: "Ignōsce m-mihi, m-mea cārissima uxor! Ipse m-merum b-bibere nōlēbam, semper enim aquam vīnō m-misceō, sed amīcī m-meī m-mē m-merum bibere coēgērunt..." Ad haec uxor "Ain' tū vērō? Ab amīcīs tuīs cōgeris merum pōtāre" inquit, "dum uxōrem tuam aquam bibere cōgis! Vīnum cārissimum largīris amīcīs nēquissimīs, dum mihi, tuae uxōrī 'cārissimae', vix satis pecūniae dās ad lac emendum līberīs nostrīs! Nōnne tē pudet ita uxōrem et līberōs neglegere?"

Tryphō nihil ad haec respondet, nam iam dormit. Uxor īrāta eum stertere audit: "Ssst-rrrch! Ssst-rrch! ..."

In theātrō

Aemilia, quae fābulīs spectandīs valdē dēlectātur, virō suō suāsit ut sē et duōs fīliōs sēcum dūceret ad lūdōs scaenicōs, quī in theātrō Tūsculānō fīunt. Agitur enim fābula mīrābilis dē adulēscente fortissimō, quī per sē sine auxiliō māgnum hostium numerum vīcit atque in fugam vertit.

Aemilia "Certē" inquit fīliīs suīs "dēlectābiminī illam fābulam spectandō, neque sōlum dēlectandī causā, sed etiam monendī causā agitur fābula."

Tūsculī ante theātrī ōstium clāmat aliquis: "Properāte, virī et fēminae! Properāte, puerī! Venīte fābulam spectātum!" Quīntus frātrem et parentēs hortātur ut quam celerrimē ad theātrum properent, nē tardē veniant, sed māgna hominum turba simul per ōstium theātrī intrāre vult. Tandem omnēs in theātrō sunt ac locōs quaerunt ad sedendum. Locīs prope scaenam inventīs, Iūlius et Aemilia cum fīliīs suīs silentēs ac spectandī cupidī initium fābulae opperiuntur.

Subitō vir veste ōrnātā indūtus in scaenam prōcēdit atque, silentiō factō, māgnā vōce clāmat: "Salvēre vōs iubeō, spectātōrēs! Iam, dīs faventibus, incipiet fābula nostra. Spērāmus hāc fābulā vōs dēlectātum īrī!"

Post haec verba statim fābula agī incipit: in scaenam prōgreditur mīles adulēscēns quī circum hostium castra per noctem obscūram versātur, cum omnia extrā vāllum et in ipsīs castrīs tranquilla esse videantur. Subitō ā dextrā mīlitēs appārent, quī adulēscentem gladiīs petunt; post brevem pugnam eum captum ab oculīs spectātōrum trahunt, ita ut omnēs sē interrogent utrum vīvat an ab hostibus interfectus sit.

Quīntus, quī haec omnia attentus spectāvit, iam oculōs claudit, quia valdē fessus est, postquam diū cum aliīs puerīs lūsit. Mox puer dormīre incipit atque in somnīs sibi vidētur īdem mīles esse quem paulō ante in scaenā spectāvit: in carcere inclūsus cōnsilium fugae excōgitat, nē ab hostibus crūdēlibus interficiātur. Fenestrā ruptā ē carcere effugit et in media hostium castra pervenit. Illīc, complūribus mīlitibus interfectīs, in ducem ipsum impetum facit. Rēte, quod humī iacēbat, tollit et in ducem iacit ita ut is, retī implicitus, sē dēfendere nōn possit. Tum eum gladiō petit...

Hīc Quīntus spectātōribus plaudentibus ē somnō excitātur. In scaenā ducem morientem videt — quem ipse in somnīs sibi vidēbātur interficere!

Plīnius dē morte avunculī

Tacitus, vir doctissimus quī multōs librōs dē rēbus gestīs Rōmānōrum scrīpsit, ā C. Plīniō amīcō suō petīvit ut sibi epistulam scrīberet dē avunculī suī exitū. Namque avunculus C. Plīniī, vir doctissimus, eō diē mortuus erat quō ignibus ē monte Vesuviō ēruptīs multa Campāniae oppida, in iīs Pompeiī, Herculāneum, Stabiae, dēlēta sunt.

exitus (ē vītā) = mors

Stabiae -ārum f pl

Plīnius Tacitō interrogantī hanc ferē epistulam scrīpsit: "Avunculus meus erat Mīsēnī, ubi classī Rōmānae praeerat. Ante diem nōnum kalendās Septembrēs, hōrā ferē septimā, māter mea nūntiāvit eī 'appārēre nūbem mīrā māgnitūdine et fōrmā.' Ille cibum gustāverat iacēns, et litterīs studēbat. Poscit calceōs, ascendit locum ex quō māximē rēs illa mīrābilis cōnspicī poterat. Oriēbātur nūbēs (incertum erat ex quō monte – posteā Vesuvium fuisse cognitum est), cuius fōrma quasi pīnus vidēbātur; nam velut longissimō truncō in altum tollēbātur, tum quibusdam rāmīs extendēbātur, candida

Mīsēnum -ī n = oppidum Campāniae maritimum

interdum, interdum sordida. Avunculō meō, ut doctissimō virō, hoc māgnum vīsum est propiusque nōscendum. Iubet nāviculam parārī, mihi permīsit ut sēcum venīrem; respondī 'mē litterīs studēre mālle' – et forte ipse mihi dederat quod scrīberem.

Ēgrediēbātur domō, cum epistulam accēpit Rectīnae, fēminae sibi nōtae, quae imminentī perīculō perterrita erat (nam vīlla eius sub monte iacēbat neque ūllō modō fugere poterat nisi nāvibus); ōrābat 'ut sē ex tantō perīculō ēriperet.' Vertit ille cōnsilium: nāvem longam cōnscendit ut auxilium ferret nōn Rēctīnae modo, sed multīs (erant enim frequentēs incolae illīus ōrae amoenissimae). Properat illūc unde aliī fugiunt rēctumque cursum in perīculum illud tenet sine metū!

cinis -eris m = sordēs quae igne relinquuntur

Pompēiī -ōrum m pl

Iam cinis in nāvēs cadēbat, iam etiam nigrī lapidēs igne frāctī. Dubitāns paulum an cursum flecteret ac reverterētur, mox gubernātōrī, quī eum monēbat ut ita faceret, "Fortēs" inquit "fortūna iuvat: Pompōniānum pete!" Stabiīs erat ille; ibi omnēs rēs suās in nāvēs tulerat parātus ad fugam sī contrārius ventus cecidisset. Quō tunc avunculus meus secundissimō ventō vectus, complectitur amīcum perterritum, cōnsōlātur, hortātur, utque timōrem eius suā tranquillitāte minueret, sē in balneum dūcī iubet; lautus accubat, cēnat ...

ārdēre = igne cōnsūmī

lapis -idis m

Iam ē Vesuviō monte plūribus locīs ignēs lūcēbant. Ille dīcēbat 'vīllās ab agricolīs dēsertās ārdēre.' Tum quiēvit – vērissimō quidem somnō! Sed mox excitātus est, cum ob cinerem extrā cubiculī iānuam cadentem vix exīre posset. Omnēs dubitābant utrum sub tēctō manērent an sub caelō versārentur. Nam tremente terrā tēcta hūc illūc movērī vidēbantur, at sub caelō lapidēs cādentēs metuēbātur. Iam illīc nox fuit omnibus noctibus nigrior. In lītus ēgredī cōnstituērunt, ut aspicerent num mare nāvēs admitteret, sed adhūc mare turbidum ventusque adversus erat. Ibi, super strātam vestem cubāns semel atque iterum avunculus meus aquam poposcit exhausitque. Cum duo servī eum sustinērent, surrēxit, et statim cecidit, āēr enim tam crassus factus erat, ut spīrāre nōn posset. Māne corpus eius mortuum inventum est integrum et opertum veste quā indūtus fuerat.

Interim ego et māter Mīsēnī erāmus – sed hoc nihil ad rem; nec tū aliud quam dē exitū eius scīre voluistī. Fīnem ergō faciam. Valē!"

Androclus et leō

In Circō Māximō māgna pugna hominum et bēstiārum populō dabātur. Multae ibi saevae ferae erant, sed praeter aliās omnēs ūnus leō ingēns ac terribilis animōs oculōsque omnium in sēsē converterat. Inter cēterōs hominēs ad pugnam bēstiārum datōs erat servus virī nōbilis; eī servō Androclus nōmen fuit. Hunc cum prīmum ille leō procul vīdit, repente quasi admīrāns stetit ac deinde tranquillē ad hominem tamquam sibi nōtum accessit. Tum caudam mōre canum clēmenter rnovet hominisque sē corporī adiungit crūraque eius et manūs linguā lambit. Homō Androclus, quī prope iam mortuus erat metū, oculōs ad intuendum leōnern refert. Tum quasi sē recognōscentēs populus laetōs et grātōs vīdit hominem et leōnem!

lambere = linguā tangere

Eā rē tam mīrābilī clāmōrēs populī excitātī sunt, atque Androclus ab ipsō Tiberiō Caesare interrogātus est 'quam ob causam illī ūnī ferōcissimus leō pepercisset?' Ibi Androclus rem mīrābilem nārrat: "Cum prōvinciae Āfricae meus dominus praeesset, ego ibi iniūstīs eius verberibus ad fugam sum coāctus et, ut tūtus essem ā dominō sevērissimō, in campōs dēsertōs cessī, ubi sī deesset cibus cōnsilium fuit mortem aliquō modō quaerere. Tum merīdiē umbram petēns in quendam specum intrāvī ibique latuī. Neque multō post ad eundem specum vēnit hic leō, dēbilī et cruentō pede, ob dolōrem gemēns ac plōrāns. Prīmō cōnspectū advenientis leōnis territus sum, sed postquam leō in specum quasi domum suam intrāvit et vīdit mē ibi latentem, mītis ad mē accessit et sublātum pedem mihi ostendit quasi auxilium petēns. Tum ego spīnam ingentem ex pede eius extrāxī et cruōre dētersō vulnus dīligenter cūrāvī.

parcere pepercisse

specus -ūs m

dolōrem gemere = graviter spīrāre ob

mītis -e ⇔ ferōx

spīna -ae f

ex-trahere

Leō, meā operā dolōre solūtus, pede in manibus meīs positō, recubuit et quiēvit, atque ex eō diē trēs annōs ego et leō in eōdem specū et eōdem cibō vīximus; nam leō eārum bēstiārum quās occīderat optimam carnem mihi afferēbat. Sed cum iam satis habērem inter bēstiās vīvere, leōne absente relīquī specum et, post-quam trēs diēs errāvī, ā mīlitibus vīsus captusque sum et ad dominum ex Āfricā Rōmam ductus. Dominus mē statim ad bēstiās darī iussit. Intellegō autem hunc quoque leōnem tunc in Āfricā captum esse atque grātiam mihi nunc prō beneficiō referre."

Haec cum Androclus nārrāvisset, cūnctīs petentibus dīmissus est et poena solūtus, leōque illī dōnātus. Posteā Rōmānī vidēbant Androclum et leōnem, līneā tenuī vīnctum, per urbem tōtam circum tabernās īre, et dīcēbant: "Hic est leō hospes hominis, hic est homō medicus leōnis."